




7—20.

Commentationis
de
institutis militaribus Danorum,
regnante
Valdemaro secundo,
pars prior,
quam
ad jura magistri artium obtinenda
die XXVIII m. Martii h. l. q. s.
publice defendet
auctor

Johannes Matthias Velschow,
Candidatus Theologiæ,

respondente
doctissimo *P. W. Becker*, Cand. Theol.

Havniæ 1831.
Typis excudebat *Andreas Seidelin*,
Aulæ Regiæ et Universitatis Typographus.

Specimen hoc inaugurale dignum censet Facultas philosophica Universitatis Hafniensis, quod ad honores Magisterii rite obtinendos, publicæ disputationi subjiciatur.

Hafniæ d. XII *Martii* 1831.

Werlauff,
Fac. philos. h. t. Decanus.

Conspectus argumenti.

Prooemium.

Sectio prima.

De plebejorum officio militandi.

A. De militia intra terræ fines præstanda.

Caput primum.

De incolarum evocatione.

Caput secundum.

De terra custodienda.

B. De militia extra terræ fines præstanda.

Caput tertium.

De expeditione indicenda.

Caput quartum.

De expeditionis onere distribuendo.

Caput quintum.

De ipso onere expeditionis.

Caput sextum.

De legibus ad expeditionem plebejam pertinentibus administrandis.

Prooemium.

Ubicunque prima gentium ætate familiæ singulares, sive ex eadem stirpe ortæ, sive casu congregatæ, stabilem conflaverint societatem, juribus suis, quibus antea fruitæ erant, minime renunciantes, id unice egerunt, ut junctis viribus se ab aliorum impetu facilius defendere, et fortiorum jure communi commodo melius prospicere possent. Hæ consociationes igitur, initia proprie rerum publicarum dicendæ, ad bella modo spectabant: quicquid eo referendum, ad summam rem publicam pertinere videbatur. Cætera, quæ postmodum publica auctoritate regi solebant, sociis ipsis inter se quomodocunque componenda diu relicta manebant; rudibus enim hominibus idea rei publicæ haud latius patebat, quam notio rei militaris. — Ut nulla unquam foedera, ita neque militaria illa legibus, quamvis simplices fuerint, caruerunt. Quæ, primariæ re ipsa societatum dicendæ, quum militiæ rationem docerent, præceptorum, quæ socii re publica adjuvanda observarent, summam exhibebant. Ut paucis igitur rem absolvam: *in antiquissimis re-*

buspublicis, quales prima gentium erant ætate, societatibus prorsus militaribus, officium militandi sociis tanquam summum et unicum præscriptum erat.

Quæ de initiis rerumpublicarum hic exposuimus, exemplis societatum, quas recentiore tempore populi rudes inire solent, confirmantur. Origo societatum, quas illi populi, qui historiæ initio jam diu in scena egerant, olim inierunt, obscura quidem semper nobis manebit. Nihilo tamen secius ubi constat, antiquissimas quasque imperii publici formas ubique prorsus militares fuisse, omnesque præstationes civium reipublicæ ab initio debitas ad militiam solam spectasse, aliis oneribus plane incognitis, haud amplius dubium videtur, qua tandem lege illa prima foedera pacta sint. — Tempora quidem mutantur, consuetudines et instituta humana mutantur in illis. Militares illæ rerum publicarum formæ jam diu explosæ aliis, nostro ævo accommodatis, cesserunt. Sed, ut fit, cogitandi agendique ratio nobis a pueris propria facta, quantumcunque animi sensus deinde mutetur, haud facile unquam omnino exuitur. Ita inter Europæos christianos, ex quo res militaris recentiore ætate, priore forma temporum necessitati parum respondente, prorsus novo habitu induta fuerat, antiqua illa instituta militaria omni usu caruerunt; sed per decursum multorum seculorum cum rebuspublicis tam arcte coaluerant, ut etiamnunc vigeant consuetudines et instituta gravissima ex hoc fonte, licet non amplius ad bellum spectent, derivanda.

Quæ quum ita sint, satis, ut putamus, patebit, quanti momenti sit argumentum, quod nobis tractandum sumsimus. *Antiqua* enim *instituta patria ad militiam spectantia* pro viribus perscrutaturi, iidem præcipua momenta, quæ antiquam reipublicæ Danorum formam constituunt, colligenda suscepimus. Argumentum nostrum nihilo minoris esse æstimandum, id saltem dissertatione ipsa probatum iri speramus. Quam materiam nobis nunc potissimum tractandam sumsimus, quod commentationem jam inchoandam pro *initio* habemus *seriei disquisitionum de interno statu Daniæ nostræ medio ævo*, qualem deinde, quousque nobis otium et vires suppeditaverint, connectere optamus. Utinam incepto vires non nimis impares videantur!

Vellemus sane, nos institutionem rei militaris apud nostrates inde ab antiquissimis temporibus per varias mutationes persequi potuisse. Quod vero quum propter penuriam fontium fieri nequeat, satius duximus, *instituta militaria, qualia erant regnante Valdemaro victorioso* (quo demum tempore fontes pleniorem descriptionem permittunt), *ita recensere, ut de origine eorum et mutationibus, quas antea subiisse videntur, simul inquiramus.*— Instituta ipsa, quæ erat olim eorum indoles, aptissime illustrabimus disquisitione *de officio Danorum militandi*, in duas, pro materiæ natura, dividenda partes, quæ *de militia plebejorum* et *de homagio*, i. e. de militia hominum (nobilium) seorsum agent. In tertia deinde parte *de copiis Danorum militaribus*, his institutis convenienter coactis, *in univer-*

sum (quo pertinet disquisitio de earundem attenuatione per vacationem datam et venditam) commentabimur. In appendice, quo jure duæ aliæ præstationes, *stuth* et *innœ*, expeditionis oneribus vulgo adnumerentur, illustrare conabimur.

Sectio prima.

De plebejorum officio militandi.

Quamvis verum sit, nullam rempublicam nomine dignam fuisse, quæ lege de militia præstanda omnino careret, haud minus tamen certum videtur, hanc legem a principio tam simplicem fuisse, ut, natura ipsa rei præscripta, verbis fere non egeret. Sub tentoriis nomadum ut res publicæ et privatæ ita tempora belli et pacis parum discernebantur. Sedes populorum vagantium castris similes; migratio eorum ad nova pascua quærenda nihil diversa a profectione adversus hostes. Semper quasi in itinere versantes, omnia sua secum ferentes, impetum hostium haud secus, ac pugnam cum bestiis feris pecora aggredientibus pugnandam excipiebant. Inter hos populos, quoties bellum immineret, nemini sine dubio, qui arma ferre poterat, militiam subterfugere licebat. Officium igitur militandi ubique facultate tantum humana limitatum erat, sed inter omnes putamus convenisse, quot annos pueri, quot senes numerarent, quibus

haud ignominiæ vel crimini foret, apud ægrotos et fæminas remanere, quum cæteri hostibus obviam irent.

Verum alia fuit ratio populorum, qui in aliqua terra sedes fixerant. Quotiescunque aræ et foci ab impetu hostium defendenda essent, necessitas quidem omnes, qui arma ferre valebant, ad defensionem provocavit. Sed etiamsi quam maxime e re publica videretur alium populum bello petere, nunquam tamen, nisi sedes priores simul relinquere in animo esset, probandum, omnes viros in ejusmodi bellum proficisci. Quod si fecissent, aliis hostibus, occasionem opportunam vix transmissuris, bona sua diripienda uxoresque et liberos aut necandos aut in servitutem abigendos reliquissent. Eandem ob causam, ubi fines reipublicæ latius patebant, improbandum erat, alias partes omnibus defensoribus orbari, ut aliæ ab impetu hostili ibi facto defenderentur. Quam rationem si iniissent, simulato impetu, dum hostes alio bellum intenderent, alio inferrent, facillime circumvenirentur. Ut hæc mala præcaverentur, defensorum nonnulli modo mittendi. Sed quot et quinam mittendi, utrum per vices omnes, an alii præ aliis? Ad hæc dubia tollenda novis regulis opus fuit, quæ officium militiæ, si *intra terræ fines* pro aris et focis suscipiendum, aliis limitibus, aliis, si *extra terræ fines* præstandum esset, circumscriberent. Quum hæc diversitas, rei naturæ conveniens, in Dania nostra, ut inter gentes vicinas legibus servata fuerit, de utraque officii forma seorsum agendum est.

A. De militia intra terræ fines præstanda.

Caput primum.

De incolarum evocatione.

§. 1.

Majores nostros officia intra et extra terræ fines militandi diligenter discrevisse, omni dubio caret, quippe quod locis infra afferendis satis probetur. Quo magis sane mirandum, in legibus nostris antiquioribus nusquam militiæ intra fines terræ mentionem fieri. Lex Jutica, quæ inter leges nostras pleniores sola de expeditione sive de militia extra fines terræ præstanda agit [1]), officium incolarum terram ab invasione hostili defendendi ne verbo quidem commemorat. Hocce offi-

[1]) Dum leges Norvegorum et Svecorum fere omnes fusius, in peculiaribus libris nonnullæ, de militia agunt, collectiones legum, quibus olim Scanienses et Sjællandi usi sunt, ne unico quidem capite hanc rem tractant. Nisi viginti capita prima legis Juticæ haberemus, de antiquis Danorum institutis militaribus nihil fere præter conjecturas proferre possemus. Inter leges nobis relictas præter viginti illa capita modo lex castrensis Canuti Magni, fragmentum juris cujusdam expeditionalis (quod vero ætate sec. 14tum haud superat) a Kofod-Anchero nostro servatum (Lovhist. II, 567 sq.) et pauca quædam præcepta, per capitulationes et edicta regia dispersa, huc pertinent.

cium, ut videtur, a necessitate ipsa præscriptum, inde a cana antiquitate ita omnibus, qui eo quomodocunque fungi possent, commune fuerat, ut scripta lege pauca et simplicia edicta nemini incognita denuo inculcare plane superfluum videretur. Militiæ pro terra defendenda *omnes incolas viriles*, clericos ut laicos, servos ut liberos homines, obligatos fuisse, jam gentium vicinarum leges fidem nobis faciunt [1]), nam dissimilitudinem tali in re olim apud populos vicinos et cognatos obtinuisse, nemo facile sibi persuadebit. Sed loci nonnulli, qui apud historicos nostros et in edictis principum leguntur, omnia dubia removent. Ita Saxo inter leges Frothoni tertio adscriptas etiam hanc affert [2]): "Si quis ad exsequendum regis imperium ob animi contumaciam piger existeret, exilio mulctaretur. Solebat namque sagitta lignea, ferreæ speciem habens, nuncii loco, *viritim per omnes* mitti, *quoties repentina belli necessitas incidisset.* Qui vero ex popularibus primipilum in acie anteiret, ex *servo* liber, ex agresti illustris evaderet. At si ingenuus foret, satrapa crearetur." Auctor hoc loco fragmentum antiquæ cujusdam legis de terra defendenda nobis servasse videtur, quæ, quum origo ejus in antiquissima tempora ascenderet,

---

[1]) Stenzel Gesch. d. Kriegsverfass. Deutschl. p. 25 sqq. Lex Gulath. Hakonis boni Utgerd. B. cap 18. L. Gulath. Magni Landvarn. B. c. 3. cfr. Snorro, S. af Olafi h. helga c. 37.

[2]) Hist. dan. L. V. pag. 128. (edit. Klotzian.)

Frothoni tertio adscripta fuit. De terra ab hoste irruente defendenda sermonem esse tum e contextu verborum, tum exinde patet, quod etiam *servi* evocati fuerunt. Leges enim nostratium severe interdicebant, ne quis servus extra terræ fines militatum mitteretur [1]). Ad defensionem vero terræ leges Norvegicæ servos etiam armari jubent. Lex igitur a Saxone allata docet, *ad terram defendendam omnes viritim, etiam servos, evocatos fuisse.* Si quis servus primipilum in acie anteiret, liber evaderet [2]). Utrum hæc lex inter eas fuerit, quas servarent æquales Saxonis, necne, incertum est. Quæ vero de aliis promotionibus adduntur, traditioni incertæ, ni fallimur, debita, inter illas leges aperte referenda sunt, quas, querente Saxone, "arbitraria juris novitas aboleverat."

Cæterum ut leges de evocandis, ita apud historicos antiquiores indubitatas relationes de evocatis, cogente necessitate, incolis desideramus. Hvitfeldius [3]) tamen auctor est, Margaretham Sambiriam reginam a. 1259 omnes Sjællandos adversus Jarmerum, principem Rugianorum, et Eri-

---

1) Leg. Jut. III. 2. L. Siæll. Erici regis, III. 18. (ed. cl. K. Rosenvinge.)

2) Lex Gulath. Haconis boni, Utg. B. cap. 18, idem præmium servo promittit, qui virum hostilem occidit. Lex recentior Magni regis hoc edictum omittit.

3) Danm. Krön. p. 259. Alium sensum verba ejus: "Mand aff Huse ofver Sjeland" præbere nequeun.

cum, ducem Slesvicensium, qui cum magno exercitu appulerant, viritim evocasse. Nescitur quidem, ex quo fonte hæc hauserit Hvitfeldius, sed relatio sine dubio vera, nisi querela regis ad papam [1]), in proelio Nestvediensi decies mille rusticos occisos fuisse, plane absurda sit. Vulgari enim expeditione modo tertia pars hujus numeri ex integra Sjællandia militatum emittebatur. Observatio saltem docet, militiam ad terram defendendam latius patuisse et aliam fuisse, quam expeditionem vulgarem (Lething lingva vernacula). Quod etiam plura diplomata confirmant. Exstat epistola Erici regis (sine dubio illius, cui Glipping cognomen) incolis provinciæ Barahereth in Scania rescripta, qua rex jubet: "Item volumus et mandamus universis villicis et colonis, tam *privilegiatis* quam aliis, quandocunque insidie inimicorum regni ingruerint, ut ad defensionem patrie, sicut justum est, sint parati" [2]). Villici proprie nunquam, coloni non in privilegiata saltem terra militiæ extra fines terræ erant obligati, ad terram tamen defendendam sese paraturi. Argumento est igitur diploma, reges nostros, ubicunque clericos eorumqve rusticos expeditione vacare jusserint, militia tamen intra terræ fines eos haud liberasse, etiamsi hæc exceptio in diplomatibus Danicis rarissime addatur. In paucis tamen ad exemplum Holsato-

---

1) Langebek Scriptt. R. Dan. Tom. V. p. 613.

2) Kof. Ancher. Lovhist. II. 541.

rum [1]) additur. Ita in epistolis, quibus Abel rex villicos et colonos monasterii Slesvicensis St. Johannis, et abnepos ejus Valdemarus quintus dux bona domus St. Spiritus Flensburgi ab expeditionis onere liberant [2]) exceptio adjecta est. Inprimis vero notanda privilegia sacerdotibus Lollandiæ a. 1330 a Johanne, Holsatiæ comite, data et postea a Christophoro duce a. 1360 redintegrata [3]), quibus *ipsi domini et eorum famuli* expeditione *extra terram* liberantur. Sacerdotes [4]) igitur et famuli eorum militiæ intra fines terræ obligati fuerunt [5]): officium famulis clericorum incumbens, omnibus certe famulis et servis incubuit. — Hæc rerum conditio, mutatis paucis mutandis, usque ad medium seculum decimum septimum servata fuit [6]).

---

[1]) In diplomatibus Holsaticis exceptio addi solet, v. ex. gr. Suhm, Hist. af Danm. VIII. 197 sq. IX. 474. XI. 212 etc. cfr. Stenzel l. c. p. 27.

[2]) Suhm, l. c. X. 171. 182. XII. 101.

[3]) Hvitf. l. c. pag. 453 sq. 520. sq.

[4]) Observandum est, hæc privilegia clero seculari data fuisse. Num monachi unquam ad arma vocandi fuerint, nullo exemplo fidem facere possumus. Illisne solis militia intra terræ fines vacare licuit?

[5]) In proelio Fodevicensi (a. 1134), quo omnes incolæ terræ Scaniæ evocati fuisse videntur (v. Svenonis Agg. Hist. reg. Dan. cap. 7. ap. Langeb Scriptt. R. D. I. 60), 60 presbyteri occisi sunt.

[6]) Cfr. b. Jahn, Nordens, især Danmarks Krigsvæsen i Middelald. p. 12 sq.

§ 2.

Officium arma ferendi illis modo viris incumbere potuit, *qui arma ferre valebant*. Ut ægrotos igitur taceam, omnes pueri, qui ætatem armis parem nondum attigerant, omnesque senes, qui eam jam excesserant, excipiendi erant. Quæ quidem ætas diversis hominibus plerumque diversa; sed ut haberent aliquid certi, quod sequerentur, termini ejus in lege ad certos annos constituendi erant. In memorabili quodam responso, regi Erico Pomerano a. 1428 in placito generali Sjællandiæ dato [1]), poena ei tantum dictatur, qui "hiemæ sadhæ, oc *til lagh Aller komen waare*." Verisimile est, juvenes Danorum, ut Germanorum [2]), olim, cum legitimam ætatem attigissent, in placitum productos fuisse, utpote qui deinde tum armis ferendis pares, tum in lege adultorum loco habendi essent. Apud nostrates olim, ut apud alias gentes [3]) tabulas confectas esse rusticorum, quotquot, plena scilicet ætate, in singulis habitarent territoriis, e libro censuali Valdemari secundi [4]) discimus. Itaque quæritur, qui fuerint termini ætatis, armis fe-

---

1) Danske Mag. T. V. pag. 319 sq.

2) Tacitus, de morib. Germ. cap. 13.

3) Caroli Magni Cap. a. 807 c. 7. Cap. III. a. 812 c. 5. 7. Ludovici Pii Cap. a. 828. c. 7. et Cap. a. 829 c. 7. apud Baluz. col. 460. 497. 654 et 672.

4) Pag. 55-58. apud Langeb. Scriptt. R. D. VII. 533-535. De quo in sectione tertia hujus diss. plura.

rendis apud nostrates paris habitæ. Priori saltem medii ævi parte haud dubitaverimus, quin *hæc ætas anno decimo tertio incepto et sexagesimo finito inclusa fuerit.* Narratur scilicet in Hervarar Saga [1]): "Rex Hunnorum et Hlödus tantum exercitum contraxerunt, ut *virorum ad bellum aptorum regio vacua restaret,* ibant omnes annos duodecim nati et seniores usque ad sexagenarios;" et, quamvis fabulosa sit hæc inprimis narrationis pars, ubi verba citata occurrunt, nihil tamen est, cur dubitemus, auctorem hoc loco eos ipsos terminos afferre, quibus veteres septentrionales et etiamnum æquales ejus (seculo 13tio) ætatem armis aptam includere solerent. Veritas hujus opinionis etiam aliunde confirmatur. Ita satis cognitum est, heroes septentrionis, secundum historias nostras antiquas, inde a duodecimo anno completo res bellicas gerere solere. Si tibi res, quas duodecennes illi pueri gessisse dicuntur, identidem dubiæ videantur, nihil moramur, dummodo nobis concedas, quod inde sequi videtur, ætatem duodecim annorum antiquis septentrionalibus bello aptam visam esse [2]). Nihil omnino veri dissimile, filios duodecennes patrum bellicosorum hos ipsos militatum abeuntes secutos esse, etiamsi nihil aliud, quam lapides hostibus funda mittere, valerent. Hac ipsa ætate duodecim vel tredecim annorum

---

[1]) Cap. 17. edit. Hafn. pag. 196.

[2]) Cfr. Schiönning, Norges-Hist. I. 315. 417. II. 16. 232.

pueri etiam in Germania bello apti habebantur [1]). Antiquissimæ præterea leges Germanorum et septentrionalium ab anno duodecimo completo initium pubertatis computare solent [2]). Pueri antea, quid facerent quasi nescientes, si quid deliquissent, damnum factum modo resarciendum, nunc juvenes, si violentiæ cujusdam convicti essent, plenam mulctam solvendam habebant. Antiquissimæ nostræ legum collectiones terminum quidem pubertatis nusquam afferunt; attamen quum in termino plenæ ætatis (quo tacto, juvenes sui juris facti sunt) ad annum decimum quartum vel quintum completum referendo cum illis legibus consentiant [3]), non dubitamus,

---

1) Stenzel l. c. pag. 323 sq. Perhibet idem auctor l. c. pag. 40 et 323, Carolum Magnum tabulas omnium liberorum hominum in regno suo, qui duodecim haberent annos, confici curasse. Res per se verisimilis est, sed, unde hæc hauserit, nescimus. Loci ab eo citati de hac re non agunt.

2) L. Gulathing. Haconis boni, Manhelg. B. c. 40. Leg. Sal. tit. 26. § 9. Leg. Fris. Addit. tit. 3. § 70. Kayser Rect. P. 2. c. 17. pag. 29. in Corp. jur. Germ. e. bibl. Senckenb. T. I. Adde locos a Stenzel. l. c. pag. 324 sq. citatos. In Anglia pueri duodecennes in hundred et tithing recipiendi, jurare debebant, se latrocinio abstenturos, v. Legg. Canuti Magni (ed. cl. K. Rosenvinge) pag. 50. 52. In Islandia puer duodecim annorum erat Karlmadr, et testimonium dicere potuit, v. Arnesen, Islandske Rættergang. pag. 200. 204 sq.

3) L. Scaniens. III. 2. 13. L. Sjælland. Erici regis III. 35. Hæc diversitas terminorum puberis et

quin etiam terminum pubertatis ad annum duodecimum completum nostri retulerint. Immo nescimus alias, cur jejunium ob fortunam bellicam die ante festum Sti Laurentii, rogante archepiscopo Andrea Sunonis a. 1219, quotannis instituendum ut omnibus viris ita pueris, qui duodecim haberent annos, incumberet [1]). Lex vero recentior, quæ Jutorum dicitur, terminum pubertatis ad annum decimum quartum vel quintum, plenæ ætatis ad annum decimum octavum completum prolatat [2]). Verisimile est igitur, initium ætatis bello aptæ jam sub Valdemaro secundo rege duos vel tres annos prolatatum esse. De *fine* ejusdem nullum dissensum exspectamus. Annus sexagesimus primus inceptus pro initio senectutis haberi solet. Apud nonnullos saltem populos vacationem militiæ inde coepisse pro certo scimus [3]).

---

plenæ ætatis rei naturæ consentiens (pueri enim duodennes, si puberum hominum, non consideratorum tamen numero habendi erant) origo est, ni fallimur, duplicis termini ætatis majoris, sive distinctionis inter pupillarem, minorennem et plenam ætatem, cfr. K. Ancher, Afh. om de gl. danske Loves Grundsætn. § 8. Saml. jur. Skrifter II 231 sqq.

1) Hvitf. l. c. pag. 184. Suhm l. c. IX. pag. 333.

2) Leg. Jut. I. 36. II. 50. 65. Lex Jutica dum terminum pubertatis prolatat, jura ejus simul auget, I. 7.

3) Vide du Cange. Gloss. s. v. hostis.

§ 3.

Jam supra observavimus, nunquam fieri potuisse, ut e re publica videretur, ubi regni fines latius paterent, omnes incolas in unam partem, quo impetus forte factus esset, evocari. Fac scilicet — ut de Dania nostra loquamur — Saxones in Jutiam meridionalem irruisse; omnes incolæ hujus provinciæ ad defensionem surgunt. Num vero commodum videatur, incolas Scaniæ, Sjællandiæ, Fioniæ cæterarumque provinciarum eodem concurrere, ut hosti se objiciant? Quorsum hîc tanta multitudo? Cæteris præterea provinciis ita vacuis relictis, hoc demum esset hostibus januam aperire. Contra ex hisce provinciis exercitum vexatis incolis in subsidium mittendum esse, nemini non perspicuum erit. Neque aliter factum esse, docet exemplum a Saxone [1]) allatum. Valdemaro enim primo aliquando irruptione Saxonum (falso) nuntiata, rex, in Scania eo ipso tempore moratus, satis habuit, Scanienses equestri militiæ adscriptos evocare et Sjællandis navigationem imperare. Tantum igitur abfuit, ut omnes incolas harum provinciarum, qui arma ferre possent, evocaret, ut ne plenam quidem expeditionem inde requireret. Itaque quid multis opus est? Ne alia provincia hostibus diripienda daretur, ut alia defenderetur, tum demum omnes incolæ in arma consurgere debebant, quum illam ipsam regni provinciam, ubi habitarent, hostis aggressus esset. Ita *milita intra*

---

[1]) Saxo pag. 492.

terræ fines sensu strictissimo semper de *militia intra fines provinciæ, in qua quis habitet* [1]) intelligenda est. Eandem ob causam forsan ne omnes quidem incolæ provinciarum late patentium una evocati, in unum saltem locum, provincia undique aperta, vix congregati sunt.

Quem vero locum tenendum haberent, nullis certius, quam *incolis urbium munitarum*, quibus defensio earum incumbebat. Fines igitur provinciæ, ad quam defendendam illi surgere debebant, munitionibus urbis descripti erant. Excursiones ad summum inde, si e re videretur, faciendæ erant, nunquam tamen longiores aut aliæ, quam quæ defensioni urbis non obessent [2]). In jure civitatis Hafniæ, a. 1294 concesso, tam breve temporis spatium hisce expeditionibus relinquitur, ut eodem die cives abire et redire possent [3]).

Provinciæ Daniæ, quomodo a natura divisæ sunt, lingua medii ut nostri ævi dicuntur *Lande*. Defensio igitur provinciæ commode lingua vernacula per *Landevœrn* dari poterat, et sine dubio olim dabatur; nam "*defensio terræ*" ut in latinis epistolis supra citatis Abelis et Erici regum et Val-

---

[1]) Cfr. Privilegia supra citata, sacerdotibus terræ Lollandiæ data. Hvitf. 453 sq. 520 sq.

[2]) Saxo pag. 573. Ex hoc loco sequi videtur, non civium proprie esse ita excurrere, nisi antea pactum esset.

[3]) K. Rosenvinge, Samling af gl. danske Love V. 104. Langeb. S. R. D. VII. 91.

demari ducis scribitur, vix alii voci linguæ vernaculæ respondet. Quin (etiamsi, ut res ipsa, ita nomen ejus nusquam in legibus nostris Danicis antiquis occurrit) nomen illud, Landeværn, a principio *defensioni provinciæ proprium*, itaque τῷ *Lething*, militiæ extra terræ fines, oppositum fuisse putamus. Deinceps vero per abusum, ita videtur, notio illius vocis latius patere coepit, ut *defensionem regni*, immo *omnem militiam* significaret; paucis enim locis, ubi in lege Jutica hoc vocabulum legitur [1], eodem sensu, ac Lething, adhibetur. Quo factum est, ut *Landeværn* et *Lething* Valdemari secundi tempore sibi invicem opposita haud essent.

§. 4.

Jam vero, cogente necessitate, si incolæ provinciæ cujusdam ad arma vocandi essent, peculiari quadam convocandi ratione gentes septentrionales usi sunt. Stipes scilicet ligneus, sagittæ speciem habens, hinc adustus illinc vimento annexus (inde nostratium *Vidie og Brand*, alias *herör*, *Budstikke*) ab altera domo ad alteram missus, omnes, quocunque veniret, arma ferre valentes intra breve temporis spatium armatos convenire jussit [2]. Ut omnis mora et perturbatio præ-

---

1) L. II. cap. 24. 51. l. III. cap. 9. 11.

2) De hoc instituto vide Reenhielm, Not. ad Thorst. Vik. S. pag. 61 sq. Thestrup, Danm. Krigsarmat. pag. 86 sqq., Slange, Gesch. Christ. 4. v. Schlegel II, 229. G. L. Baden, hist. Afh. I. 157—60.

caverentur, certæ regulæ, summa cura observandæ, mittenti præscriptæ erant. Simili ratione septentrionales ad alias quascunque conciones, mutata tamen diversis modis forma stipitis, populum convocare solebant, et etiamnum in quibusdam regionibus solent. Nostrates quoque olim illa ratione ad arma convocatos fuisse, verba Saxonis supra [1]) citata, quibus leges Frothonis illustrat, clare docent. Eadem vero simul indicare videntur, hanc convocandi legem jam Saxonis tempore fuisse abrogatam. Sed verba ejus vix ita premenda. Ne dicamus, Jutiæ incolas, teste Snorrone [2]), adhuc seculo undecimo sub Canuto Magno ad defensionem terræ hoc modo collectos fuisse, auctor est ipse Saxo [3]), Scanienses et Hallandos sub Valdemaro primo, "*more gentis*, misso stipite per omnes," alios alios ad arma vocasse. Idem Jutos fecisse, regnante Erico Menved, Hvitfeldius refert [4]). In responso denique Erico Pomerano, in placito generali Sjællandiæ, a. 1428 dato [5]) hujus convocandi rationis tanquam *antiquæ consvetudinis* mentio fit. Quæ cum ita sint, Saxo, qui illa verba in peregrinorum lectorum gratiam, quibus hæc convocandi ratio incognita esset, addidit, ad præterita tempora, de quibus agebat, eadem accommodasse vi-

[1]) Pag. 7.

[2]) Saga af Olafi h. helga c. 158.

[3]) Hist. Dan. pag. 573.

[4]) Danm. Krönike, pag. 368. 374.

[5]) Danske Mag. V. 320.

detur. Consvetudo enim ipsa neque inclyti scriptoris tempore, neque diu postea abolita fuit.

§ 5.

Non sine summa necessitate omnes incolæ provinciæ ad arma evocabantur. In tali ideo rerum discrimine popularibus suis vexatis auxilium debitum denegare pessimi erat utique civis, nomine prorsus indigni, quippe qui summo officio deesset. Quare hunc hominem in *exilium* ejiciebant iidem, qui rusticum in expeditione (lething) frustra exspectatum poena pecuniaria mulctabant. Saxo, quum illam poenam a Frothone tertio dictatam loco sæpius laudato perhibeat, nobis simul testis est, eam inde ab antiquissimis temporibus delinquentibus imminuisse. Dubium autem videri potest, utrum Valdemari secundi tempore etiamnum iisdem immineret, an potius alia quædam adhuc gravior, quam seculis sequentibus sancitam videmus. Quum scilicet dubium videretur, qua poena tenerentur illi, qui terræ defensionem neglexissent, Ericus Pomeranus a. 1428 rem ad placitum generale Sjællandiæ detulit. Responsum, a multis nobilibus et ignobilibus eo convocatis redditum, jam supra sæpius laudavimus. Quantum ipsis, testati sunt, *antiqua terræ consvetudo* cognita erat, si quis, ardente speculæ igne, currente sagitta lignea, domi mansisset, e proprio tigno suspendendus erat, qui vero agmen ad litus secutus deinde sine venia abierat, si signum ab ipso ferendum simul reliquisset, famæ, vitæ bonorumque amissione, sin minus, infamia mulctan-

dus erat. Antiqua quidem hæc consvetudo jam a. 1428 vocatur; incertum tamen nobis videtur, num ad tempora Valdemari secundi ascendat. Exacutio enim poenarum, ni fallimur, ævo inprimis sequenti debetur.

§ 6.

De officii ipsius ratione paucissima modo habemus, quæ dicamus. *Quam diu militandum esset*, ex arbitrio defensorum haud pendebat. Quos ante domum rediisse, quam terram hostis reliquisset, ineptum videtur [1]). At, inquis, diu in agmine manere, si non impetus hostilis, penuria certe alimentorum vetabat. Observandum tamen, expeditiones, quæ fuit antiquitatis bellandi ratio necessitate præscripta, nunquam facile diu trahi potuisse. Commeatu ad paucas septimanas instructus exercitus hostilis patriam reliquerat. Nisi igitur in terra peregrina quæ præterea necessaria habebat invenire posset, brevi revertere coactus fuit. Quæ ne inveniret, defensorum erat cavere. — Attamen quamvis brevis fuerit militia, *commeatu* necessario agmen defensorum carere non potuit, nisi proxime habitantibus oneri esset. Minime quidem dubitamus, quin plerumque revera fuerit, sed simul nobis persvasum est, per abusum modo, recentiore saltem tempore, ita factum esse, legesque voluisse, milites, antequam domum relinquerent, cibariis instructos esse. Sumtus in commeatum faciendos

1) Cfr. L. Gulath. Haconis boni l. c. cap. 18.

militantibus ipsis incubuisse nullam habebit dubitationem, si ad conditionem omnis militiæ plebejæ respiciatur. Quantum vero onus, et quomodo inter eos, qui ei ferendo pares essent, distributum fuerit, nescimus. — Quibus *armis* instructi defensores terræ hostibus obviam ierint, nobis fere æque incognitum est. Constat quidem, quomodo rustici expeditionis navalis participes (proprietarii et coloni) armati fuerint, neo dubitamus, quin hæc arma (de quibus infra plura), quæ sibi quisque comparaverat, etiam ad defensionem terræ gestaverint. Iisdem forsan alii quoque rustici, eodem fere loco habendi (filii illorum et villici), instructi fuerunt. Sed admodum incertum est, num reliqui, (inquilini (garthsætemen s. innesmen, kothkarle), conductitii (leghedrænge) et servi) eandem habuerint armaturam. Historia rebellionis inquilinorum a. 1256 contra nobiles [1]) innuere videtur, clavam præcipuum illis fuisse telum. Ensem igitur vix habebant. In lege Sjællandica Erici regis, I. 48, homo pauper vocatur *spyutsman*, quo nomine forsan indicatur, pauperes sola hasta fuisse instructos [2]). Quæ si vera essent, armatura, quam defensores plebeji sibi quisque compararent, sub Valdemaro

---

1) Suhm, Danm. Hist. X. 287-290, et loci ibidem citati.

2) Ita nomen explicat cl. F. Magnusen, v. not. ad. l. c. K. Rosenvinge Lovsaml. II. 348. Dubium tamen nobis videtur, an *spyutsman* s. *spyutskarl* non eadem ratione formata sit, ac *stafkarl* L. S. Erici III. 10. l. c. pag. 378.

secundo ita forsan lege descripta fuit, ut rustici proprietarii, villici et coloni nec non filii eorum, qui ad plenam pervenerant ætatem, "thry folkwapn," cassidem, gladium et hastam [1]), famuli eorum clavam (gladii loco) et hastam, homines egeni hastam saltem haberent. Pueros ætatis nondum plenæ funda modo instructos fuisse putamus.

Caput secundum.

De terra custodienda.

§ 7.

Instituta militaria, quæ adumbravimus, eo omnia spectabant, ut hostes, jam facta irruptione, repellerentur. Militia vero in hunc finem præstanda, nunquam facile omnibus æqua, earum provinciarum incolis, quo creberrimæ fiebant irruptiones, maximo erat oneri. In magnis igitur et continuis regnis longe molestior erat incolis earum provinciarum, quæ barbaris conterminæ, quam earum, quæ regionibus pacatis undique cinctæ jacebant. Omnes enim incolæ provinciarum interiorum non ante ad arma vocandi erant, quam limitaneas provincias hostis penetrasset. Quod rarius accidit. Incursiones enim barbarorum haud magni plerumque erant momenti; sed ita crebræ, ut fere diurnæ dici possent, incolas limitaneos, nimis frequenter evocandos, brevi defatigassent, nisi peculiari præsidio quieti eorum aliquatenus prospectum fuisset

---

[1]) Leg. Jut. III. 4.

Quare in rebus publicis medii ævi bene constitutis non satis habebatur incolas evocare; sed fines præterea natura locorum non satis munitos munimentis et excubiis stativis, quæ impetum paucorum propulsare, itaque evocationem incolarum, necessitate non cogente, præcavere possent, tueri solebant.

Itaque quæritur, *quomodo Daniæ provinciis olim cautum fuerit.* — Omnes provinciæ majores Daniæ nostræ mari cinctæ et intersectæ, limitaneæ dicendæ, hosti extrinsecus terra marive venienti patebant, neque fines terrestres crebrius, quam maritimi, prædonibus mari scatente, violabantur. In hoc igitur regno nullum provinciarum exteriorum et interiorum discrimen. Omnes provinciæ custodiendæ, custodia modo diversa, quatenus in hostem aut maritima aut terrestri via appropinquantem obversa erat. — *Oræ maritimæ* Daniæ tam late patebant, et undique apertæ tam facilem hostibus dabant aditum, ut earum munitio per excubias stativas incolis nimis molesta fuisset. Quare florentissimo rerum Danicarum tempore, quod unionem minorum regnorum sub Gormone secutum est, reges nostri satius ducentes, maria circumflua, quantum fieri posset, classe sua prædonibus vacuefacere, quotannis haud exiguum navium numerum adversus prædones per integram æstatem excubatum miserunt. Quorum sumtu et opera hæ naves expeditæ fuerint, in sectione secunda hujus dissertationis illustrare conabimur: hoc loco satis erit monere, hanc expeditionem ad rusticos plebejos

non pertimuisse. Hæc autem custodiendi ratio, jam undecimo seculo, quo magis invalescerent Vendorum prædationes maritimæ, eo minus sufficiens reperta, sub Nicolao ejusque successoribus intermissa est, litoraque nostra prædonibus Vendorum diripienda data [1]). Plerisque maris accolis inter hæc pericula triste erat subsidium alma litora relinquere, ut in inviis silvis interiorum regionum victum quærerent. Valdemarus primus, qui terrorem Vendis incussum optimum oris nostris circumdedit propugnaculum, hasce excubias simul ita redintegravit, ut quarta pars classis Danicæ per vices, quamdiu coeli temperies sineret, excubias ageret [2]). Quæ tamen excubiæ (haud diu postea, ut videtur, abrogatæ) rusticos insolito onere non gravabant. Expeditio enim excubandi gratia facta, a vulgari re ipsa haud diversa, huic modo substituta fuit. — Ita tandem ævo Valdemariano piraticis Vendorum cohibitis, litora Danica, quæ tam diu fere deserta incultaque jacuerant, et insulæ minores circumjacentes frequentius incoli coepta sunt.

Præter instituta nuper recensita, quæ ad universam oram maritimam tuendam spectabant, inde ab antiquo tempore nunquam prorsus defuerunt alia, quæ parti cuidam tutelæ forent. *Castella* enim passim in litore, inprimis ubi natura loci commodam navibus præbebat stationem, ad naves tuen-

---

[1]) Adamus Brem. de situ Dan. c. 1 (208). Saxo, pag. 419. 438.

[2]) Saxo, pag. 512.

das, exstructa erant. Hisce vero castellis non rustici excubitores, sed famuli mercede conducti in præsidio fuisse videntur. Præterea in locis editis juxta mare *stationes* (*Bauner*, isl. *vitar*) dispositæ erant aliquot excubitorum, qui de adventu hostium igne accenso circumhabitantes certiores facerent, ne ex improviso opprimerentur[1]). Illæ stationes antiquiore tempore, piratis ubique grassantibus, forsan *stativæ* fuerunt, etiamsi postea, quum inter tempora belli pacisque discernere liceret, in pace omitterentur.

Quandocunque essent dispositæ, rusticis utique excubandi officium incumbebat. Nescimus vero, quæ regulæ hic observandæ iis præscriptæ fuerint[2]). Ab hisce excubiis diversa videntur illa

---

1) Satis cognitum est, institutionem talium specularum per integrum litus Norvegicum, aptis relictis intervallis, Haconi bono tribui (Snorro, S. Hak. goda cap. 21). Res vero ipsa longe antiquior est (Schöning Norges Histor. II. 383 sq.), immo per se tam simplex, ut miraremur, si, Norvegis ab antiquissimo tempore cognita, Danis et Svecis, quibus æque necessaria erat, recentiore demum tempore in usu fuisset. Quare non dubitavimus, institutionem harum specularum ad antiqua Danorum tempora referre, etsi in fontibus antiquæ nostræ historiæ nusquam earum mentionem injectam vidimus. Nonnulla loca in oris nostris inde forsan nomen traxerunt. Langeb. S. R. D. III. 155. cfr. G. L. Baden, Afhandl. I. 149 sqq.

2) Cfr. Hvitf. pag. 1448. Nonnullas regulas in Norvegia olim observatas vide L. Gulath. Haconis l.

"*præsidia agrestium*," quæ, teste Saxone [1]), Sveno (Grathe) rex "locis marinis natura munitis condidit." Rem potius ad consilia pertinuisse, quæ inter pericula extra ordinem capi solerent, ex narratoris ipsius verbis colligimus. Hæc de ora maritima custodienda.

§ 8.

A duabus partibus Daniæ fines, Svecos nimirum et Saxones versus, olim *terrestres* erant [2]). Qui quomodo ab incursionibus repentinis defensi? De *custodia finium Sveciam versus* nihil omnino compertum habemus. Administratio provinciarum Scaniæ, Hallandiæ et Blekingiæ defensionis ratione a cæterarum nullatenus diversa apparet. De peculiari quodam incolarum officio in confinio excubandi, de arcibus ibidem exstructis nihil legimus. Fines tamen regni omni præsidio vacuos fuisse, est sane quod dubitemus. Extrema ora Scaniæ, Hallandiæ et Blekingiæ, antiquis Sveciæ provinciis contermina, tractus est partim montuosus, partim uliginosus, densis olim saltibus, la-

---

c. cap. 17. Magni l. c. cap. 4. cfr. Jahn l. c. pag. 182. sq.

1) Pag. 405. cfr. K. Ancher, Lovh. II. 560.

2) De Dania proprie sic dicta hîc, ut in hac diss. ubique, sermonem esse, cur moneamus, pæne nescimus. Constat quidem, regnante Valdemaro secundo, multas alias provincias præterea aliquamdiu Daniæ fuisse subjectas; quarum vero belli rationes, quum inter se tum a nostra diversæ, ad

cubus et paludibus opertus. Natura igitur loci incolis, ejusdem peritis, defensionem faciliorem reddebat. Antiquissimis vero temporibus, pro more barbarorum [1]), hæc regio inculta sine dubio jacebat ideoque prædiis publicis regis (konunglef), accensebatur [2]). Sequente tamen tempore loca silvestria tam parum spernebant, ut medio seculo 13tio in hac regione Hallandiæ 126 vici [3]) numerarentur. Incolas hujus tractus, etiamnum *Markeböigden* s. *Skovböigden* vocati, in hafnas non divisos [4]), nullam expeditionem navalem fecisse, legibus alio loco afferendis convenit. At operæ sane pretium erat, cui res eorum antiquas penitius perscrutari liceret, inquirere, nonne incolæ limitanei expeditionis vel etiam census debiti loco custodiam finium in se suscepissent. Fortitudo saltem bellique peritia, quæ recentiore ævo in iis laudantur [5]), cum hac opinione bene convenient.

De custodia limitis meridionalis adversus Saxones plura cognita habemus. Natura loci, satis an-

---

nos non attinent, quibus de Danorum, nec de Germanorum, Slavorum, Estonumve officio militandi agendum est.

[1]) Cæsar de bello Gall. VI. 23.

[2]) Knytl. Saga, cap. 28. Suhm, Danm. Hist. IV. 608 sq.

[3]) Libr. cens. Valdemari secundi pag. 57. 58.

[4]) Ibid. pag. 58 numero hafnarum oppidorum silvestrium numerus *seorsum* additur.

[5]) S. Bring, diss. de Gothungia passim, b. Nyerup, Efterretn. om Frederik 3, pag. 113–117.

gustum modo terræ spatium facili hostium aditui relinquens, Danos ad hanc regionem [1]) munimentis claudendam tam mature adhortata est, ut origo horum munimentorum, quæ sequentibus seculis nomine *Danavirki* inclaruerunt, in canam antiquitatem ascendat. Historiam vero munimentorum [2]) non hujus loci est narrare. Nostrum est inquirere, quorum opera et sumtu *exstructa* et *conservata*, nec non *defensa* fuerint. *Defensio* autem nulla nova defendendi vel *excubandi* officia rusticis injunxisse videtur [3]). Præsidiis tamen stativis mu-

---

[1]) Inter Sliam videlicet et Trenam fluvium. Slia autem nonnullis in locis satis facilem transitum permittente, regioni quoque trans Sliam (Schwansen) aliud vallum, a Slia ad Eckernfordiam, obductum fuit. Regiones vero Trenæ ab occidente tum Trena et Eidora, tum inprimis natura palustri satis munitæ videbantur.

[2]) Ulr. Petersen Historie d. St. Schleswig cap. 128 msct. Noodts Beiträge II. 558 sqq. Suhm, Danm. Hist. I. 107 sq. II. 12 sqq. 580 sq. VII. 670-695. Jahn. l. c. pag. 314-23. Docte nuper b. Ouzen antiquitates horum munimentorum perscrutatus est in libro: Untersuchungen über die Alterthümer Schleswigs und d. Dannewerks. 1826.

[3]) Nusquam saltem legimus, quæ hoc affirment. Loci libri censualis Valdemari 2 pag. 15. 17. 19 huc minime trahi possunt. Reditus e munimento Danawirki redundantes (cfr. Hvitf. pag. 290) cum Suhmio nostro de portorio interpretamur. Interpretatio horum redituum, quam attulit Bolten

nimenta firmata fuisse, quis dubitat [1]? Hæc autem utilitas munimentorum, quod pauci milites eorum ope impetum paucorum facile propulsare, multorum aliquamdiu saltem, dum incolæ provinciæ in subsidium vocantur, retardare poterant. Defensioni munimentorum, satis cognitum est, custos limitis præerat, qui cum hoc munere præfecturam totius provinciæ limitaneæ conjungebat. Milites igitur excubantes, domestici, ut opinamur, præfecti Slesvicensis, ex uberibus hujus magni beneficii reditibus alebantur. Quamdiu præsidium stativum ad impetum propulsandum sufficeret, incolæ Jutiæ meridionalis non perturbati res suas curabant; sin minus, omnes, qui arma ferre poterant in subsidium vocabantur; quo facto, intra paucos dies tot Danawirki implebant defensores, ut Saxonis tempore numerus sexaginta millia attingeret [2].

§ 9.

At etiamsi defensio munimentorum adversus Saxones nulla nova excubandi officia rusticis injunxerit, *exstructio* tamen et *conservatio* eorum tantos labores postulabant, ut non possent non nova *laborandi* officia iis imponere. Summo enim jure reges hæc opera, ad defensionem regni spectantia, ab incolis proprio sumtu facta voluerunt.

(Ditmars. Gesch. II. 236) plane arbitraria censenda est.

[1]) Saxo, pag. 371.

[2]) Ibid. pag. 378 sq. 536.

Ita Einhardus annalista ad a. 808 refert [1]), Godofredum copiis suis operas in exstruendo hoc munimento ponendas distribuisse. Quæ vero obiter modo monet auctor peregrinus, Sveno Aggonis noster, de munitionibus a Thyra regina instauratis narrans, copiosius exponit [2]). Quæ narratio docet, quod etiam natura rei probat, labores hisce munimentis impendendos, perinde ac militiam ipsam ad terræ defensionem præstandam, ad omnes viros, infantibus duntaxat et senibus exceptis, immo ad incolas omnium provinciarum pertinuisse. Exstructio illius valli, propugnaculi totius regni, non solis Slesvicensibus oneri esse debuit [3]). Ne

---

1) Pertz, Monumenta Germ. hist. Scriptorum T. I. pag. 195.

2) Hist. reg. Dan. c. 3. apud Langeb. S. R. D. I 49. "Interea regina per universum regnum edictum promulgavit, ut totius regni universus populus corrogatus una prope Slesvicum conveniret; omnesque, quorum in regno essent domicilia, ingentis valli molem, cujus celerius exstruendi consilium cepisset, propriis jussit manibus elaborare. Illos vero, quos rei familiaris urgebat inopia, census fovit subsidio: talique operi pecuniam erogabat, quam dolo impetraverat. Nec cuiquam se excipiendi prærogativam impertivit, quin juvenes, senes et adulti, cunctique, quos vel infantia tenerior non impediret, vel senii defectus non prohiberet, operi præfato insudarent."

3) Cæterum verba Svenonis, totius regni universum populum *una* convenisse, non ad vivum resecanda

vero iter in provinciam longinquam faciendum pauperibus nimis molestum foret, hos ipsos regina pecunia juvit [1]). Ad eandem normam, ut putamus, operæ deinde huic munimento tribuendæ (magnæ certe iis temporibus, quum Valdemarus primus et Margaretha Sambiria regina Danavirki renovarunt et auxerunt) incolis Daniæ distributæ sunt.

§ 10.

In hisce tamen operis officio laborandi non satisfactum est. Jam supra innuimus, in oris nostris *castella* passim inventa esse. Etiam hæc propugnacula aliaque, ubicunque sita essent, ad terram defendendam exstructa erant, neque in his minore jure, quam in illis condendis, reges operam defensorum exigebant [2]). Præterea, ne iter defensorum invia locorum natura nimis impediretur, amnes, vada et sylvæ, quantum utile videretur, pervia erant reddenda. Neque illud sine magno eorum labore fieri potuit. Quid multa? Officium militandi forsan multis annis ne maxima quidem fuit pars oneris ob terræ defensionem suscipiendi [3]).

---

sunt. Ipse deinde refert, operam trium annorum vallo impensam fuisse.

1) Secundum aliam narrationem, parum verisimilem, incolæ orientalium modo provinciarum laborasse, Juti vero utensilia iis subministrasse dicuntur, v. Mencken, Scriptt. rer. Germ. T. III col. 590.

2) Cfr. Hvitf. pag. 368. 514. Suhm, Danm. Hist. X. 171. 182.

3) Nihil novi alias incogniti ita nostratibus injunc-

Nihilo tamen secius laborum onus usque ad mortem Valdemari secundi in Dania minus molestum fuisse videtur. Munimenta nimirum usque adeo quum pauciora tum minus operosa erant, facili plerumque negotio exstruota, ut labores inter multos divisi singulos non nimis premerent. Postea vero, quam plurimis castellis firmissimo terræ præsidio habitis, quo plures et solidiores ubique arces condere solebant [1], eo molestioribus quoque operis rustici onerabantur. Querelæ inde natæ promissa provocarunt regum sequentium sæpius repetita [2], non sine summa necessitate rusticos hoc onere gravandos, nihilque ultra, quod Valdemari secundi tempore præstatum esset, exigendum. Quæ

---

tum fuit; eædem operæ ubique defensoribus terræ incumbebant. In Germania inferiori, ut hoc inprimis utamur, *Borgwerk* et *Bruckwerk*, perinde ac Landwere, ad omnes pertinebant, cfr. Westphal. Monum. ined. IV. 63 sq. Suhm, l. c. VII 314. 439. IX 78. 303. 537 etc. In Anglia neque Saxonibus neque Danis *burhbote* et *bricgbote* remissa erant. In lege etiam Canuti Magni nostri hoc denuo inculcatur (pag. 87), cfr. Lingard, Hist. of Engl. I. 343.

1) Quam ob causam belli facies, tam in Dania, quam inter plerospue alios Europæ populos eodem tempore, ita paulatim mutata fuit, ut tantum non continua series obsidionum evadere videretur.

2) Erici Glipping regis edict a. 1282. Ejusd. edict. Sjællandis a. 1284 datum. Fragm. edicti Christophori (secundi) regis apud K. Ancher, Lovhist. I. 602. 608. II. 549.

quum eosdem non satis tutos reddidissent, sub Valdemaro tandem quarto lege constitutum est, quot dies singuli quoque anno proprio sumtu laborarent [1]). Nemini labores incerti molestiores fuerant, quam colonis regis, nobilium et clericorum, quibus præ-

---

1) Langeb. Scriptt. R. D. VI. 529, cfr. Dalin Gesch. d. R. Schweden, II. 471. Cæteroquin observandum, officia rusticorum laborandi jam diu ultra justos fines fuisse extensa. Rustici nempe in arce munita condenda operam suam navare adstricti, cur in grangia (villa rustica, Ladegaard) ejusdem ædificanda deessent? Porro, ad amnes et vada pervia reddenda opera rusticorum exigenda erat. Ut pontes commode imponerentur, certo alveo aqua includenda, ne irrita eadem flueret, molæ aquariæ cum pontibus conjungendæ erant. (Langeb. S. R. D. VI. 530). Ponte injiciendo opem laturi quomodo in mola cum illo conjuncta ædificanda denegare possent? Ita tandem factum est, ut operæ rusticorum tam ad quascunque domus in prædiis regiis, quam ad arces ipsas, tam ad molas, quam ad pontes ædificandos et reficiendos promiscue requirerentur (cfr. edict. Erici a. 1282). Quem abusum jam ante ævum Valdemari secundi in Daniam irrepsisse, inde conjicimus, quod historicus ei æqualis, Snorro (Saga af Olafi h. helga c. 253), hunc ipsum inter eos refert, quos, e Dania petitos, Svenoni Alvivæ filio deberi voluit ætas recentior. Sveno Aggonis noster, ubi omnes incolas Daniæ olim prædia regia tanquam colonos regis coluisse autumat, (Langeb. I. 49. cfr. T. Rothe, Nord. Statsførf. I. 159. 230. Suhm, l. c. II. 581. K. Ancher, Lehnsret § 39) defensorem illius abusus agere videtur.

ter culturam agrorum suorum angariæ in prædiis dominorum faciendæ incumbebant. Clericorum igitur magni intererat, colonos ipsorum hoc officio liberari. Quod etiam nonnullis monasteriis contigit. Antiquissima vero hujus generis privilegia, nobis cognita, pertinent ad annum 1250, quo Abel rex colonos monachorum de Esrom et sanctimonialium Roeskildensium tam in villis forensibus, quam rure habitantes ab "edificatione, reparatione et munitione civitatum, castrorum et urbium liberat [1]). In altero horum diplomatum hocce onus "ex novo propter temporis malitiam succrevisse" dicitur.

Reliquum est, ut moneamus, operas ob terræ defensionem suscipiendas, iisdem limitibus, ac militiam ipsam, circumscriptas, intra fines modo illius provinciæ, ubi quis habitaret, præstandas fuisse (excipias, quæsumus, Danavirki ad omnes regni provincias pertinens). Quin in ipsa provincia, si quis rure habitabat, munitio urbium non ejus proprie erat. Munirentur urbes, necne, e voto civium, ut videtur, pendere solebat. Optantibus vero civibus, permittente rege, munitio ipsa ad illos pertinebat [2]). Urgente tamen necessitate, si rex urbem aliquam illico circumseptam optasset, cum exercitu suo civibus opem tulit [3]). Munimen-

---

1) Diplomatar. Arna-Magn. I. 185 sq.

2) Suhm, l. c. XI 65. 749. K. Ancher, Lovb. II 555. J. Petersen, Chron. d. L. z. Holsten. p. 77.

3) Saxo, pag. 398. 403.

tis circumductis, conservatio eorum *civibus solis* incumbebat [1]). Præter labores vero huc pertinentes vix alii (si iterum omnibus communes excipias) iisdem injuncti fuerunt.

B. De militia extra terræ fines præstanda.

Caput tertium.

De expeditione indicenda.

§. 11.

Militia extra terræ fines peculiari nomine linguæ antiquæ septentrionalium vocatur *leidángr*. In diplomate Nicolai regis a. 1117 scribitur *lethang* [2]); in diplomate Valdemari primi a. 1158 legimus *leyding* [3]); leges nostræ Danicæ ubique habent *lething*, quod lingua recentiore in *Léding* mutatum est. Vocabulum, cujus etymologia dubia est [4]), militiam in universum significare vide-

---

1) K. Rosenvinge, Lovsaml. V. 98. 103. 105. 139, 272 sq. 280 sq. 308. 325. 365. etc.

2) Diplomatar. Arna. Magn. I. 3.

3) Langeb. Scriptt. R. D. V. 240.

4) Derivatio *Gudmundi Andr.* e vv. *leid*, iter, et *ángr*, sinus maris, facilis quidem, sed inutilis est, quippe quæ nihil explicet. Melius *Ihre* (Gloss. II. 50. s. v. Leding) nomen derivat ex Anglosax. *lith*, navis, et Isl. *ángr*, coactio. Posterior verbi pars, *ángr*, aut de coactione s. imperio, aut — siquidem Græco e lingua Persica petito vocabulo, ἀγγαρεία, Latinor. *an-*

tur, quo sensu etiam interdum adhibitum est. In legibus vero et diplomatibus sensu modo speciali de militia extra terræ fines occurrit. In latinis diplomatibus per *expeditionem* semper redditur.

Hæcce militia, ut jam supra observavimus, eo inprimis a militia intra terræ fines diversa erat, quod ex integro incolarum numero *modo nonnulli erant expediendi*. Deinde *expeditionis ratio non eadem*. Milites enim, qui hoc belli genere *diutius absentes* detineri solebant, si necessaria sibi secum ferrent, non solum *plenius instruendi*, ve-

---

gariæ, propius cognata sit — de servitio sine dubio interpretanda est. Utraque significatio eodem redire videtur. Derivatio prioris verbi partis ex vocabulo Anglosax. *lith* satis commodum præbet sensum, sed, quum remotior sit, vix propiori ex Islandico *lid*, exercitus, præferenda est. Hac derivatione recepta, septentrionale *leidángr* mirum in modum cum Germanico vocabulo *Heerbann* consentiet, v. Kurz Oesterreichs Militairverfassung pag. 97. Propiores adhuc sunt derivationes ex Islandicis *leid*, iter, vel *leid*, conventus, quæ fere eundem sensum præbent. Hasce derivationes defendit forsan usus medii ævi. In legibus saltem nostris duo verba, *farboth* (perperam *forboth*) et *samnæth* (K. Ancher, Jydske Lov, pag. 312. 340 sq. Lovh. II. 543) passim tanquam synonyma verbi *lething* adhiberi videntur, pro etymologicis, putamus, ejusdem explicationibus habita. Si hoc verum sit, in priore, farboth, leidángr e vv. *leid*, iter, profectio, et *ángr*, imperium, derivatur, in posteriore, samnæth, Isl. *leid*, conventus, pro radice habetur.

rum etiam, quum rarissime, quæ est situs provinciarum Danicarum, militia sine navium usu extra terræ fines præstari posset, *navibus expediendi* erant. In quibus tum copiæ in alias regiones traducendæ, tum præcipue proelia navalia committenda erant. Itaque quum naves, quales ad onera ferenda ædificari solebant, hisce expeditionibus non idoneæ essent, *longas sive bellicas naves* in hunc peculiarem usum condendas et instruendas habebant. Quo minores antiquæ naves bellicæ, eo plures erant numero, omnesque pro illorum temporum more ita comparatæ, ut remis incitari possent. Qui in navigando æquora remis, mox in acie hostem gladio contundebant, nullumque classiariorum et terrestrium discrimen militum. Hinc *in legibus nostris antiquioribus expeditio facienda semper navalis cogitatur*, et rustici militantes promiscue nautæ (skipæræ) vocantur. Etiamsi interdum fieri posset, ut navibus non omnium provinciarum militibus opus esset, plena tamen expeditio iis non poterat carere.

§ 12.

Ex jam dictis speramus patere, militiam extra terræ fines haud exiguos *pecuniæ*, *temporis* et *operæ* sumtus incolis attulisse. *Pecuniæ* sumtus expeditioni impendendi iis modo incolis incumbere poterant, qui impensis ferendis pares erant. Necessitas igitur legem præscripsit, hoc vectigal reditibus, non personis imponendum, itaque — quod accuratior modo ejusdem legis est explicatio — pro

magnitudine redituum singulis distribuendum esse, ut, quibus minores essent reditus, minores etiam sumtus ferrent. Ubi reditus ita minutæ essent, ut necessaria tantum vitæ præberent, sumtuum exactioni finis ponendus. Illi igitur, quibus tam parce adfluebant reditus, veluti proletarii Romanorum, immunes erant. *Temporis* vero et *operæ* dispendium num aliis, quam, quibus pecuniæ sumtus, imponendum? Cui nihil pecuniæ, neque temporis et operæ quidquam superesse poterat. Iidem igitur, qui pecuniæ, etiam temporis et operæ sumtu immunes esse debebant. At, inquis, omnibus tam pecuniæ, quam temporis et operæ impensis conjunctis, certoque pretio æstimatis — quæ tandem est diversitas sumtuum rei ejusque pretii? — si integra hæc impensarum summa incolis, qui ad necessitates reipublicæ aliquid reliquum habebant, solvenda esset distributa, militia tamen ipsa ad omnes ita pertinere potuit, ut ex integro numero virorum bello aptorum, quot mittendi essent, eligerentur. Quid est, cur plebs inferior belli laboribus prorsus immunis maneret? Ita sane fieri potuit: exemplo sunt instituta militaria nostri temporis. Ita olim quoque fieret, necesse est, quandocunque tam numerosa exigeretur militia, ut locupletiorum paucitas eam præstare non posset [1]). Eadem modo lege fieri poterat, ut numerosa militia,

[1]) Apud Romanos, si summo rerum discrimine proletarii armandi essent, locupletes sumtus suppeditabant.

quæ inter populos Europæos olim exigebatur ad terram defendendam, præstaretur [1]). Eadem denique necessitas Norvegis olim obvenit, ut expeditiones pro incolarum frequentia nimis numerosæ tamen fieri possent [2]). Nulla vero cogente necessitate, talis rerum conditio indoli antiquitatis repugnare videtur. Primævo enim tempore belli munere nihil optatius liberoque homine dignius habebatur. Quo divitior quis erat, quo plures igitur servos domi ad res domesticas curandas alere poterat, eo magis hanc curam ipse contemtui habebat, belloque inhiabat, ne vita quieta oneri foret. Jam vero fac, tales homines monitos esse, ut sumtus expeditioni necessarias impenderent, aliis exercitum sequi jussis, num hæc militiæ vacatio iis jucunda fuisset? Nonne potius ægre tulissent, viam sibi ad gloriam ita præclusam esse? Summam injuriam se pati existimassent. Bellum enim non modo ad gloriam, sed etiam ad divitias duxit, prædaque capta sumtus sæpe longe superavit. Cui vero prædam capiendi occasio potius præbenda, quam ei, qui sumtus præbuerat? Quæ quum ita sint, indoli antiquitatis quam maxime consentire putamus, *officium militandi locupletissimo cuique maxime incubuisse, nec sine necessitate plebem inferiorem ad arma vocatam esse.* Ob easdem causas, cur inter cives Romanos assidui s. locupletes mili-

---

[1]) Cfr. supra § 6.

[2]) L. Gulath. Haconis, l. c. cap. 2. 3. 5. 6. Magni, l. c. cap. 6-9. L. Frostath. P. IX. cap. 7. 8. 18.

tiam ordinariam præstarent, proletarii vero vacarent, ob easdem *in Dania olim officium extra terræ fines militandi locupletioribus solis incolis, cæteris vacantibus, incumbebat.* Regulæ antiquitatis lege sancitæ per secula sequentia, etiamsi ævi recentioris ingenio minus convenirent, plerumque servabantur.

§ 13.

Ubicunque respublica pluribus provinciis junctis constiterit, militia extra terræ fines *duplicem in finem* — ut jam supra observavimus — aut ad aliam provinciam ejusdem reipublicæ contra impetum hostilem defendendam, aut ad aliam rempublicam aggrediendam suscepta fuit. Haud incommode ideo, consilii ratione habita, *expeditio intra regni fines* ab *expeditione extra regni fines* discerni potest. Inter Francos et Germanos Caroli Magni tempore expeditionis forma pro consilii diversitate diversa fuit [1]). Quotiescunque alia provincia regni late patentis ab hoste oppugnata fuerat, e cæteris provinciis certa quædam pars incolarum, qui bello apti erant, major vel minor pro longinqvitate provinciæ, in subsidium mittenda. Quæ expeditio, ad defensionem regni facta, re ipsa evocatio erat populi, qualis ad defensionem provinciæ fieri solebat, magis modo minusve pro magnitudine periculi restricta. Sumtus, ut videtur, locu-

---

[1]) Capitular. Caroli Magni a. 807 § 1. 2. 5. cfr. Stenzel pag. 28 sq.

pletioribus modo distribuebatur, militia ipsa ad omnes bello aptos promiscue pertinebat. Contra, si reipublicæ peregrinæ bellum inferendum esset, ut sumtus expeditionis, ita militia ipsa locupletioribus modo incumbebat, iisque pro facultate distribuebatur [1]). In Dania vero, velut in Norvegia, nulla diversitas expeditionis, sive ad defensionem, sive ad oppugnationem fieret, præscripta videtur. Id autem observandum, quod in Norvegia omnes expeditiones ad easdem fere normas, ac Francorum ad regni defensionem, comparatæ erant, in Dania contra omnis militia extra terræ fines secundum easdem fere regulas, quæ expeditionibus Francorum oppugnandi causa susceptis præscribi solebant, injungebatur [2]). Et militia et sumtus locupletioribus solis incumbebant. Etsi vero forma militiæ intra et extra regni fines apud nostrates olim eadem erat, distinctio tamen non inutilis; *obligationem* enim *militandi hoc respectu diversam videbimus.*

§ 14.

Quum omnia tributa ab initio reipublicæ debita ad militiam spectarent, onus eorum incertum e rebus quadamtenus externis pendebat. Quibus forte annis nulla bella gesta erant, nulla quoque tributa

---

[1]) Stenzel, pag. 41. 326 sq.

[2]) Expeditio facienda, ubi "hærr ligher foræ landæ," a vulgari expeditione non diversa erat. Jus expeditionale apud K. Ancher, Lovhist. II. 567 sq.

solvenda fuerant. Quoties vero terra vel regnum ab hoste defendendum, toties tributum iterum solvendum erat. Sed, quamvis molestum ita interdum fuerit officium militandi, cum tamen necessitati frustra opponatur, nescimus, quomodo ulla recusatio hic admitti potuerit. Contra, quum periculum esset in mora, non dubitamus, quin penes illos, qui summæ reipublicæ præerant, qua tandem auctoritate valuerint, plena ubique fuerit potestas cum incolas provinciæ vexatæ tum auxilium legitimum cæterarum ad defensionem evocandi. Itaque arbitramur, *regibus nostris olim fuisse potestatem expeditionem intra regni fines, populo inconsulto, quoties necessarium videretur, imperandi.* Nulla quidem lege antiqua hæc jura regia, qualia rei natura dictata videntur, sancita legimus: ne in Jutica quidem lege jura regis et populi circa expeditionem unico verbo definiuntur: jus expeditionale apud K. Ancher, regi illa jura haud obscure vindicans, recentius est, quam ut antiqua populi jura illæsa exhibere videatur. Sed capitulationes tamen regum Daniæ seculi 14ti docent, ne hominibus quidem regis licuisse militiam intra regni fines regi provocanti recusare [1]). Jura homi-

[1]) Vide, "om gamble Konninghe Logh" apud K. Ancher, Lovh. II. 543. Capitulationes Christophori secundi a. 1320 § 11 (L. Jut. edit. Rip. Ludewig, Reliqu. Mst. T. XII. Westphalen, Monum. ined. T. IV), Valdemari Erici a. 1326 (Lovhist. II. p. 552), Olai a. 1376. § 9. (Lex Jut. ed. Rip. Ludewig. l. c.)

num circa expeditionem antea haud alia, quam populi, fuerant (de quo in sectione secunda); illa vero seculo decimo quarto aucta potius, quam deminuta apparent. Itaque quod hoc tempore iis non licuit, rusticis certe nunquam integrum fuerat.

Verum enimvero haud minus certum est, *regibus nostris antiquis non fuisse potestatem populum inconsultum aut invitum extra regni fines ducendi ad aliam rempublicam impugnandam.* Alioquin iis integrum fuisset tributa solvenda pro lubitu augere, tametsi incertum erat, utrum bella principis, an reipublicæ causa inciperentur, utrum huic emolumento an detrimento forent; atque adeo summa respublica arbitrio principis relictum fuisset. Quod sane ideæ potestatis regiæ, qualis antiquis Germanis et Scandinavis obversabatur, plane repugnasset. Historia contra docet, reges antiquos, quum bellum esset incipiendum, concilium indixisse [1]), quo omnes, quibus incumbebat officium militandi, armati convenirent. Rex consilium belli proponere solebat. Si displicuerat sententia, fremitu adspernabantur, sin placuerat, arma concutiebant [2]). Consilii tamen non semper rex auctor erat; cuilibet militum jus proponendi competebat; quin, si inter milites convenisset de bello quodam inchoando, principem sæpe nolentem ad exercitum, quo vellent, ducendum

---

[1]) Cæsar de bello Gallico, V. 56.

[2]) Tacitus, l. c. cap. 11.

cogebant [1]). Populus congregatus simul exercitus erat, et concilium idem initium belli. Hæc *concilia armata* — armilustria eadem — quæ turbulento ævo, quum nullus annus sine bello traduci solebat, quovis saltem vere iterabantur, *initia fuerunt comitiorum regnorum*, in quibus tamen deinde præter res bellicas etiam alia ad summam rempublicam pertinentia transigebantur. Forma comitiorum Francorum, quæ mense primum Martio, deinde Majo haberi solebant, adhuc sub ultimis Merovingis et primis Carolingis ab antiquissima illa conciliorum armatorum parum diversa erat [2]). Eandem fuisse rerum Danicarum conditionem, omni dubio caret. Desunt quidem leges perspicuæ: historici æquales, expeditiones indictas esse, plerumque modo obiter monent, ut ad res in iis gestas transeant; minime præsagientes, fore, ut indicendi ratio lectoribus obscura esset. Semel tamen Saxo claris verbis antiqua jura populi circa expeditionem commemorat, quippe quæ jam ipsius æqualibus insolita videri possent. In historia enim Erici boni refert [3]), Autonem quendam, splendidissimo loco natum, Falstriam e Siællandia petentem a Vendis fuisse occisum. "Quam rem Skialmo Candidus (frater hic Autonis erat) in celeberrimis Danorum conciliis querelarum frequentia prosecutus extudit,

---

[1]) Cæsar l. c. V. 27. Stenzel pag. 50 sq.

[2]) Vide locos citatos apud Stenzel pag. 38 sq.

[3]) Libr. XII. p. 351.

ut auctoritate ejus motum vulgus unius necem omnium manu ulciscendam decerneret. Adeo quippe regia majestas popularem libertatem evexerat, *ut ei decernendarum expeditionum jus esset, armisque publicis non imperium principis, sed plebis arbitrium præsideret.*" Insolitum apparuit, quod plebi, etiam *rege non auctore*, expeditionem decernere integrum fuerat. Ævo enim Valdemariano armis publicis imperium principis præsidere solebat, i. e. cujusvis expeditionis regem auctorem et suasorem populus habebat. Docent igitur verba Saxonis, usque ad tempora Erici boni antiquum expeditiones decernendi jus plebi incolume servatum fuisse [1]). Innuunt eadem, reges, auctoris tempore, etsi minus liberum hujus juris usum permitterent, tamen non sine consensu populi alii reipublicæ bellum intulisse. Quæ in verbis Saxonis hoc loco subobscura sunt, paucis aliis locis illustrantur. Ad nostrum propositum hic satis erit, lectorem ad illum locum remittere, quo Canutus sextus rex Jutos in concione Viburgensi, ut naves expediant, *adhortans* inducitur [2]). Unde perspicuum fit, regi etiamnum iis annis, quibus finitur historia Saxonis Danica, consensu populi opus fuisse.

---

1) Saxo, quæ est ejus cogitandi ratio, hanc libertatem favori regum (non Erici boni, ut nonnulli locum interpretantur; hoc verbis non inest) deberi vult; sed antiquior est majestate regia.

2) Libr. XVI. pag. 593

Antiquissima igitur et solennis bellum externum committendi ratio hæc fuisse videtur. Rex concilium armatum indixit. Convenerunt omnes militiæ adstricti, armis, navibus et utensilibus, prouti jubebant leges, instructi, in locum designatum maritimum [1]. Militibus recognitis in concione de bello committendo actum est. De quo quum convenisset, seu rege, seu aliis pervincentibus, naves illico solverunt [2]. Hoc tamen non impedivit, quominus rex interdum, si præcipue ejus interesset, cavere, ne consilium captum in concione militari repudiaretur, nedum insolitam expeditionem optaret, plebem antea in comitiis provincialibus præpararet [3]. Idem hominibus privatis, ut vidimus, licebat. At quæcunque tandem in concione prævaleret sententia, antiquissimo tamen tempore rarissime expeditionem factam prorsus irritam fuisse putamus. Seculo vero undecimo et duodecimo belli studia inter majores nostros paullatim decresebant. Piratæ Vendorum, maria circumquaque infestantes orasque vastantes, tanto terrore animos rusticorum impleverant, ut, si horum timiditati expeditiones decernendæ fuissent permissæ, satius sem-

[1]) Ita antiqua consvetudo, comitia totius regni in locis maritimis habere, non commoda solum, sed ab initio etiam necessaria fuisse videtur.

[2]) Encom. Emmæ reginæ ap. Langeb. S. R. D. II. 476. Auctor tamen peregrinus, quæ sunt verba ejus, auctoritati regiæ nimium tribuit.

[3]) Saxo pag. 338 sq. 442. 593. cfr. Knytl. S. cap. 42.

per duxissent, ne irrita, domum redire, quam terribiles Vendos in acie aspicere. Quod Valdemaro Magno initio imperii accidit. Expeditionem ad Masnet insulam, Slavis bellum facturus, indixerat. Sed "dum populum *in concione* exhortaretur, seniores, quibus pro rostris dicendi mos erat, classem tuto processuram negabant. In hanc sententiam totius concionis suffragia consonabant. *Cujus arbitrio rex expeditionem remittere coactus*, proposito celerius, quam cupidius cessit" [1]. Hic eventus regem potentem ad aliam ingrediendam agendi viam, ingenio ipsius et amici Absalonis optime convenientem, induxisse videtur. Secundam enim expeditionem indicturus, *paucos modo rei arbitros adscivit*, "*quod sciret, quæcunque ferro geruntur, publicis viribus, sed privatis consiliis administrari oportere*" [2]. Itaque paucorum illorum auctoritate usus Valdemarus plebem fluctuantem ad voluntatem suam rexit. En *initia comitiorum nobilium (Herredage)*, quæ libertati populari vulnus letale inflixerunt! Quo certiora enim forent decreta, quum plebeji nullas haberent auctoritates, quas opponerent, omnes primores regni in *consilium* illud *militare* deinde recepti sunt. Quod quotannis a rege convocatum de

---

1) Saxo pag. 438 sq. Hunc locum perspicuum egregie firmare, quæ supra et de expeditiones indicendi ratione et de juribus plebejorum docuimus, nobis etiam non monentibus, patebit.

2) Saxo pag. 442.

expeditionibus faciendis (postea etiam de aliis rebus publicis) agebat. Ex consultis deinceps expeditione indicta, consilium belli cum plebejis quidem communicatum est, sed eum modo in finem, ut sententiam primorum — approbarent. Hac via plebis jura expeditiones decernendi ævo Valdemariano [1]) ita antiquata sunt, ut medio seculo 13tio in publicis literis [2]) affirmaretur, "regiæ esse auctoritatis *de consensu majorum regni* expeditionem indicere." Itaque proceres antiqua populi jura circa expeditionem sibi solis vindicarunt, et probe simul sciebant, quomodo eadem servarent. Inter privilegia enim procerum, quæ reges sequentes capitulationibus suis rata habuerunt, nonquam non hoc affertur, quod bella exteris gentibus non sine eorum consensu inferenda erant.

§ 15.

De *ipsa indictione expeditionis* pauca modo addenda habemus. Quum indictio non ad omnes pertineret, neque sagittæ ligneæ ope fieri potuit. Præfectorum erat cognoscere, quibus in expeditione instante officium militandi incumberet. Præ-

---

[1]) Auctor historiæ Canutidarum (Knytlinga Saga) cap. 68, Olaum famelicum regem inducens Thorgunnæ filiis loquentem, se, quum primum sibi procerum Danorum fidem conciliasset, bellum Flandriæ comiti illaturum esse, sui temporis morem ad antiquiora tempora transferre videtur.

[2]) Process. litis inter Christophorum I et Jacob. Erl. Langeb. Scriptt. R. Dan. V. 599.

fectis ideo proxime jussa supremæ rerum gubernationis edita sunt. Aut *epistolis regiis* certiores facti, aut (seriore tempore) ad *mandatum in comitiis nobilium*, quorum ipsi pars fuerant, *acceptum* provinciarum præfecti in placitis generalibus [1]) exercitum et classem intra certum terminum præfixum [2]) expedienda indixerunt. Specialis expeditionis cura gubernatoribus navigiorum incumbebat. E jure expeditionali apud K. Ancher discimus, indictionem in placito generali (saltem ad defensionem regni) non sine ritu quodam solenni factam esse." Præcipitur: "Tha scal Konings gælkæræ ællær annar hans högher umbudzman læt bæræ til lanstingh *scolf* oc *spathæ* oc bywdæ wdgerds ledingh." Sed quo incertior est lectio legis, quæ unici modo exscripti fide nititur, eo difficilius est dictu, quid sibi velint illa duo verba scolf et spathæ. Spathæ, si lingvam recentiorem Danicam consulis, est instrumentum ad terram effodiendam, Spade. Si hoc verum sit, scolf forsan de alio quodam instrumento ejusdem generis, Skuffel vel Skovl, interpretandum est. Quorsum vero hæc instrumenta, ubi expeditio indicenda esset, nescimus. Spathæ igitur

1) Jus expeditionale, Lovhist. II. 567. Langeb. S. R. D. II. 476. VI. 529. Saxo, pag. 588. Knytl. S. cap. 76. 119.

2) Ad expeditionem certum dierum numerum militantibus ex ordine concedendum fuisse, verisimile est, cfr. Saxo, pag. 442. Nusquam vero affertur, quantum fuerit hoc temporis spatium, cfr. Jahn, pag. 8 sq.

hoc loco potius est longus ille ensis, utrimque acutus (Slagsværd), quem equites medii ævi in pugna gerere solebant. Hæc significatio, cum nomine ipso, e lingua Latina petita, in Francia inprimis, Italia et Germania vulgaris erat [1]). Pro *scolf*, ni fallimur, legendum est *scold*, clypeus. Lex igitur, ut videtur, præfectum plena demum armatura instructum, comite puero armigero clypeum et ensem ferente, in comitiis provincialibus expeditionem indicere jubet. Sed quum hic ritus festinationem quandam innuere videatur, fortasse non nisi in expeditione ad regnum defendendum indicenda observatus fuit.

Caput quartum.

De expeditionis onere distribuendo.

§ 16.

Officium extra terræ fines militandi locupletibus solis incumbebat. Sed quinam eorum numero accensi, quomodo opera inter eos distributa sunt? Hæ sunt fere quæstiones, ad quas primum nobis respondendum est. Ut cives, qui oneri expeditionis ferendo pares erant, a cæteris discerni possent, necesse est, exstiterit modus, quo reditus singulorum æstimarentur. Inter nomades hic modus celeriter inventus fuisset: greges enim fere solum pe-

---

1) Radlof, Bildungsgeschichte d. Germ. p. 430. Dalin. Gesch. d. R. Schweden I. 198.

culium; cæteri redituum fontes omnibus æque adfluebant. Sed inter nomades, uti memineris, nulla norma quæsita est. Ex quo vero nomades sedes fixerant, nec pecuariam modo faciebant, sed agros etiam colebant, *terræ* erant præcipuum peculium, e cujus magnitudine plerique reditus peculiares pendebant. Hoc etiam modo in Dania olim reditus eorum, quibus expeditionis onera injungenda erant, æstimabantur. Æstimatio vero et quæ ea nitebatur onerum distributio ita erant comparatæ, ut manifestum sit, easdem non antiquissimo ævo deberi. Recentior vero rerum forma antiquioris et simplicioris nonnulla vestigia servabat, quæ, ut seriora lineamenta facilius deinde interpretemur, primum persequi in animo est.

§ 17.

Auctor est Tacitus [1]), Germanorum exercitum primo seculo post Christum natum in minores *turmas* fuisse divisum, quæ in acie seorsum (per cuneos) instruerentur. "Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum erat, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum faciebat, sed familiæ et propinquitates." In qualibet turma centum milites pugnabant, qui ex numero nomen (Hundrede, centuria) acceperant. Quin provinciæ in pagos erant divisæ, qui centenos milites sistebant. Hanc divisionem provinciarum Germani, quocunque deinceps pervenerint, instituerunt. Ita Gal-

[1]) De moribus Germ. cap. 6. 7.

liam, Hispaniam, Britanniam, postquam Germanis subjectæ erant, ut Germaniam ipsam in *centenas* s. Hundredos divisas videmus [1]; neque, præeunte Tacito, dubii hærere possumus, quem in finem hæc divisio instituta sit. Etiam boreales exercitum in minores turmas divisum instruere solebant [2], et communia harum turmarum nomina, *sveit* et *fylki*, etiam pagos provinciarum significabant. Unde patet, incolas singulorum pagorum in acie singulas turmas formasse [3]. Aciem instruere ideo lingua antiqua septentrionalium vocatur *at fylkia*. Hoc verbum Saxo reddit per Latinum *centuriare*, aliisque locis de *globis centuriatis* et *ordinibus centuriatis* exercitus Danici loqvitur [4]. Quod hæc verba jam innuunt, in singulis turmis apud nostra-

---

1) Decret. Childeb. et Clotari 2 c. ann. 595 (ap. Walter, Corp. jur. Germ. ant. II. p. 10. 12), Legg. Wisigoth. l. IX. tit. 2. cc. 1. 3. 5 cfr. Aschbach Gesch. d. Westgoth. p. 263 sq. Sprengel, Gesch. v. Grossbritann. I. 214 sqq. Luden, Gesch. d. teutschen Volks I. 503. Savigny Gesch. d. Röm. Rechts I. 231. not. 137. Ex nomine *centena* Francorum rec. *canton*, *contrée*, Ital. *contrada*, Walesiorum *cantred*, Anglorum *country* etc orta sunt.

2) Snorro, S. af Olafi h. helga cap. 216.

3) "Oc heimtiz saman frændor oc kunnmenn þviat þa mun hverr annars best gæta, oc hverr annan kenna," jubet Olavus Sanctus rex, Snorro l. c. cfr. Tacitus l. c.

4) Ex. gr. Saxo, pag. 224. 361. 384. cfr. 502 Suhm, Danm. Hist. I, 509.

tes, ut inter Germanos, centum milites pugnasse, nomine pagorum firmatur. Nam inde ab antiquissimo tempore hocce nomen pagorum in Dania et Suecia fuit *hérad* (rec. Herred), et quantumvis diversæ sint interpretationes [1]) hujus vocabuli, in eo tamen omnes consentiunt, priorem vocis partem esse Islandicum *her*. Quod non modo exercitum in universum, sed etiam, teste Snorrone in Edda, turmam quandam 100 virorum (ut Tartarorum *horda)* significat. Hanc specialem notionem hoc loco retinendam esse, omni dubio caret, quia constat, in Suecia *Hærad* et *Hundari* olim fuisse et etiamnum esse synonyma [2]). Itaque quum certum sit, a principio herredarum nostrarum eandem, ac centenarum Germanorum, fuisse rationem [3]), non du-

---

[1]) Stiernhök de jure Sveon. et Goth. pag. 30. Ihre, Gloss. s. v. Hærad. Arnesen, Isl. Rætterg. pag. 422. K. Ancher, Lovhist. II. 195. 410 sqq. Pontoppidan, D. Atlas II. 9. Langeb. S. R. D. VII. 556 sq. L. Gulath. Magni regis, gloss. s. v. hérad. W. Simonsen, Adelshist. I. 129 sq. Michelsen, Nordfriesl. pag. 50 sq. cfr. Jahn. l. c. pag. 21-26. 29-32.

[2]) Ihre s. vv. Hærad, Hundari. Geyer, Svea Rikes Häfder I. 502.

[3]) Undecunque enim posterior pars vocabuli hérad derivetur, sensus non mutatur. Tanquam radix hujus partis cogitari possunt aut substantiva: *röd* ordo, *rát* numerus, aut verba: *at ráda* procurare, *at reida*, promere, præparare. Attamen quum in antiqua vocis forma litera r non reduplicetur, rectius ultima syllaba derivatur e v. *od*, proprietas,

bium est, quin initio *ex quaque herreda* 100 *vel potius* 120 *milites* (verisimile enim, in computatione, pro more antiquitatis, centenarium magnum adhibitum esse) *in expeditionem mittendi fuerint.*

Quærentibus deinde, qui fuerit ambitus centenæ Germanorum, respondent scriptores antiqui fide digni, *centenam initio* continuisse *centum mansos* vel centum familias rusticas, quarum capita domum et terram haberent (Anglos. heorþfæst) [1].

---

prædium. Hac derivatione recepta, sensus principalis vocabuli hérad erit: *terræ vel prædia centum militum.* Quæ quidem significatio interpretationi nostræ egregie convenit, ideoque nobis inprimis arridet. Dr. Michelsen l. c. probabilem habet conjecturam, hérad esse formam modo auctam vocis *her*, quæ disquisitionem de significatione ultimæ syllabæ superfluam reddit. Cæterum haud prætermittendum, neque Norvegiam neque Islandiam publica auctoritate in herredas fuisse divisas, quare nomen hérad inter illos sensu modo derivato de quavis provincia adhibetur, cfr. Widalini diss. de voce hérad in epitome red. ab Arnesen l. c. p. 417-422.

1) Du Cange, Gloss. s. vv. centena, hundredus. Indices libri cens. vocati Domesdaybook (Lond. 1816) pag. LIX. cfr. Sprengel l. c. pag. 215 sq. Centum patres familias, quod bene observandum est, non centum liberi tantum homines (cfr. Wilkins, Leg. Anglos. gloss. s. v. centuria) in qualibet centena numerabantur. Hanc interpretationem parum accuratam secutus celeberr. Savigny (Gesch. d. Röm. Rechts I. 188 sqq. 235 sq.) in freoborgo Anglosaxonum (leg. Edwardi c. 20) decem liberos homines

Mansus, quo communi nomine plenum prædium rusticum, quantum ad familiam rusticam alendam

---

(*freomen*), in centena vero, quæ centum habebat freoborgos (ibid. cc. 32. 33), mille liberos homines numeratos vult, licet recte observet ipse, alias singula membra societatis illius decemviralis freoborborgos vocari. Verum enimvero liberorum hominum in Anglia olim duplex fidejussio vel duplex plegium lege sancitum erat. Paterfamilias (*heorþfæst*) pro integra familia sua fidejubebat (leg. Canuti Magni cap. 32 (28)); in tali igitur plegio erant omnes *folgeres* (ɔ: qui aliis serviebant, ibid cap. 21 (19)); pro patre autem ipso (freoborgus vel) teoþung ɔ: societas inter decem patres familias, spondebat. Itaque inter membra hujus societatis modo patres familias, heorþfæst, non folgeres, etiamsi liberi erant homines (freomen), numerabantur. Quæ quum ita sint, centum freoborgi unius centenæ, si centum fuissent societates decem virorum, mille patres familias amplexi essent. Quæ quum immensa fuisset hominum frequentia, pro certo habendum est, illos centum freoborgos, qui in leg. Edwardi cap. 33 cuilibet centenæ tribuantur, totidem modo fuisse patres familias, qui terram et domum haberent. — Cæterum ambitus centenarum in Anglia admodum variasse videtur. Quo plures enim evaderent patresfamilias, quo minora prædia rustica, eo plures numerabantur centenæ, eo minor erat eorum ambitus. Inde factum est, ut in libro censuali Domesdaybook fere nulla centena centum plenos mansos (hydas) contineat. Ex quo vero hæc divisio jurisdictionis causa ita variare coepit, militaris esse forsan desiit.

satis erat, in Latinis medii ævi diplomatibus vocatur, respondet septentrionalium *höfn* [1]) et *ból* [2]),

---

[1]) Isl. *höfn*, plur. *hafnir*, Dan. ant. *hafne*, rec. *Havn*. Svec. rec. *hamn*, 1) locus circumseptus, 2) prædium rusticum peculiare, olim quum origine tum significatione respondebat Germanicis: *hove*, *hobe*, *hufe*, *hof* (genit. Saxon. *haves*, plur. *häve*), quæ in Latinis diplomatibus promiscue redduntur per *hova*, *hovia*, *hoba*, *hobunna*, *huba* etc. Adhuc in lege Gulath. Magni regis sæpius haufn vel höfn de prædio rustico adhibetur (vide edit. Hafn. pag. 23. 380. 445). In legibus nostris antiquis *styrishafne* est prædium certæ magnitudinis. Ne hodie quidem in Islandia principales notiones vocabuli höfn obsoletæ sunt; adhuc 1) locum circumseptum ad pascua pecorum, 2) possessiones in universum significat. Prior notio forsan etiamnum in Norvegia passim huic verbo servatur (A. Berntsen, Danm. oc Norgis fructb. Herligh. II. 41). Inter Frisios et Ditmarsos eadem additur vocibus minus duris *ham*, *hamme* v. *hemme* (Dahlmann ad Neocor. Chron. I. 607. Outzen in Staatsb. Mag. III. 102). Dani et Sueci substituerunt hoc sensu sonos multo molliores *Have* et *hage*, quibus etiam terræ partem domui proxime adjacentem et sepe munitam vocare solent. Posterior verbi notio inter Danos, Svecos et Norvegos jam diu obsolevit, et et derivata quædam significatio, portus navalis, i. e. locus maritimus circumseptus, inter populos septentrionales, etiam inter Islandos, nunc vulgaris est. Sveci tamen etiam hodie plenum prædium rusticum vocabulo cognato *hemman* nuncupant. In Jutia meridionali Danicum hafne Germanico hufe permutatum est.

[2]) *Ból* Isl. 1) cavea 2) habitaculum 3) prædium. Ut

quæ quidem antiquitus sine dubio synonyma erant [1]). Quælibet igitur herreda in Dania a principio centum (120) hafnas (hafnir) continuit. Quæ hac via deprehendimus, legi recentiori de militia præstanda tam bene conveniunt, ut hæc convenientia ipsa ve-

---

inter Germanos verborum *hufe* et *hof*, etsi promiscue de integro prædio rustico adhibita sunt, illud tamen præcipue ad terras, hoc ad fundum domesticum et domum ipsam respexisse videtur, ita fortasse in Dania *höfn* initio terras, *ból* domum inprimis denotavit, licet alias eodem sensu utrumque sumtum sit. Eadem ratione scriptores medii ævi Latina vocabula *mansum* (terras) et *mansionem* (domum) destinguere et confundere solent. Reformata vero inter nostrates antiquissima militiæ injungendæ ratione, quum höfn in nova militari regni divisione sensu nonnihil mutato adhiberetur, hocce vocabulo non amplius tanquam synonymo verbi ból uti licebat. Exinde, opinamur, ból inprimis ad terras referri (ut deinceps videmus) coeptum est, et aliud vocabulum *gardr*, 1) sepes, 2) septum, 3) fundus domesticus cum domo, 4) prædium, quasi in priorem ejus significationem — ita saltem videtur — substitutum est. Ævo recentiore, divisione terrarum in ból abrogata, *gardr* (rec. Gaard) vulgare prædiorum rusticorum nomen evasit.

[1]) Dignum est, quod hoc respectu observetur, in Slesvico occidentali longe plurima nomina locorum aut in *ham*, *hem*, *hum*, *em*, *um*, aut in *bol*, *bul*, *büll* exire, nulla locorum diversitate exitus diversitate indicata, cfr. Kuss in Staatsb. Mag. III. 345.

ritatem argumentationis nostræ haud parum comprobet.

In militiæ enim onere distribuendo, quo modo lex Jutica jubet, primaria est regula, *quot hafnæ numerarentur, tot milites in expeditionem esse mittendos.* Hisce hafnis, quales erant Valdemari secundi tempore, non proprie quidem hafnæ nomen convenit, et sensu modo translato regula huic recentiori legi de onere distribuendo substructa est. Attamen hæc observatio tantum monet, illam regulam, recentiorem legem ætate superantem, ex antiquiore quadam, quo sensu proprio pertineret, in hanc transiisse. Quod etiam edictum ipsum confirmat, siquidem lex, quæ omnes plenum prædium rusticum colentes (i. e. omnes, quibus facultas non deerat) sese ad unum expedire jubet, quoties expeditio facienda esset, non nisi in antiquissimum ævum, belli studiosissimnm, cadere videtur. Populis Germanicis olim hanc legem scriptum fuisse, ex iis, quæ de militia et ambitu centenarum cognovimus, facile colligitur. Jam eandem majoribus nostris datam vidimus. Quæ convenientia quantopere integram analogiam, ob alias rationes jam probatam, institutionum Germanorum et Danorum militarium confirmet, non opus est pluribus monere.

Divisio patriæ militaris olim hoc via tam facilis erat, ut etiam simplicitate sua institutio illa antiquitatem referre nobis videatur. Numeratione modo prædiorum opus erat. Centum prædia rustica vicina dinumerata in unum colligentes nomine

collectivo *hérad*, i. e. prædia centum militum, vocabant, quod tot milites, unam turmam formantes, inde expediendi erant. Noli tamen putare, majores in provinciis dividendis numerum centenarium tam anxie secutos esse, ut rusticos una habitantes ad diversas referrent herredas. Quod *hærræth* et *bygd* ita interdum adhibentur, ut synonyma videantur [1]), potius innuit, in hac regni divisione incolatus, quantum fieri posset, rationem esse habitam.

Distinctio herredarum ad divisionem exercitus in pugna *terrestri* respexit; expeditio vero *navalis* subdivisionem provocavit. Naves enim antiquæ bellicæ minores erant, quam ut 120 milites singulæ capere possent: in pluribus igitur expediendi erant. Quas rustici, ut jam audivimus, ipsi condendas habebant. Jam vero, quum iidem, qui hoc anno navi ædificandæ impensas fecissent, anno sequente et quamdiu idonea foret, eadem suo jure uti deberent, hæc communis navium usus *minores nautarum societates*, tot hafnas (numero tamen non certo), quot homines una navi commode vehi possent, amplexas, sua sponte formavit. Talis societas, in Dania lingua septentrionali *skipan* (i. e. societas inter nautas; in lege Jut. scribitur *skipæn*) vocata, in Latinis diplomatibus per *navigium* semper redditur. Danorum *skipan* est Norvegorum *skipreida.*

Nihil est, cur dubitemus, *omnes* Daniæ herredas in ejusmodi navigia fuisse divisas. Lex Jutica

---

1) K. Ancher, Om vore gamle Retter-Ting § 4 fin. Ejusd. ed. l. Jut. pag. 306. L. Sjæll. Erici pag. 338.

nullius diversitatis expeditionis, quin omnis fuerit navalis, mentionem facit. Ubique potius terræ, quibus expeditio incumbebat, ad *navigium* (skipæn) pertinere dicuntur, ducesque rusticorum *gubernatores* (styræsmen) salutantur. Herredas mediterraneas omni expeditione vacasse, si legem Juticam [1]) et librum cens. Vald. consulas, minime verisimile est, ne dicamus, re ipsa contradictionem esse, herredam, i. e. provinciam centum milites expedituram, expeditione vacasse. Mediterraneas herredas navium modo expeditione vacasse, haud probabilius videtur. Quorum enim navibus milites inde expediti excipiendi essent? Nonne aucta fuissent aliorum onera, ut alii exonerarentur?

Præterea patria nostra ita mari intersecatur, ut paucissimæ modo herredæ oram maritimam non attingant, nullusque locus ultra decem milliaria Danica ab ea remotus sit. In tali regno nullibi vacatione expeditionis navalis opus erat. Distinctio enim in militibus conscribendis hodie necessaria inter maris peritos et imperitos olim superflua. Quotannis navigando juvenis brevi assecutus est, quæ puer non didicerat, siquidem rei navalis peritia opus fuerit, ut aliquis gnaviter remis incumbere posset. Quomodo vero cautum fuerit, ne rustici rei maritimæ parum periti gubernationi navium præponerentur, in sectione secunda illustrare conabimur.

---

[1]) Vide *inprimis* l. III. cc. 8. 11.

§ 18.

Audivimus, officium extra terræ fines militandi olim rusticis ita incubuisse, ut omnes, qui plenum colerent prædium rusticum, militiam præstarent, quoties expeditio facienda esset. Hæc vero onerum distributio tum demum æqua, pro facultate singulorum, dicenda, si nobis constet, prædia illa rustica, quæ plena dixerimus — mansos vel ból — ejusdem magnitudinis vel potius ejusdem bonitatis fuisse. Ut nobiscum intelligas, quid hac de re statuendum sit, primum tibi explicabimus, quæ fuerit horum prædiorum ratio. — Quomodo terræ patriæ olim a majoribus primum occupatæ sint, nescimus: nulla *landnama-saga* hoc memoriæ prodidit. Sed inde ab initio historiæ nostræ patres in vicis habitantes terrasque adjacentes inter incolas divisas videmus. Quomodo hæc divisio a principio instituta sit, ex ipsa, qualem tempore sequente usu et lege sancitam deprehendimus, sine difficultate colligere possumus. Primum quidem aream habitaculis suis optarunt. In qua quum plateas necessarias metassent, quod reliquum fuit in tot æquales diviserunt portiones, quot æqualia prædia erant metanda. Quo facto, cæteras terras, quas subigere in animo erat, in tres plerumque secuerunt campos [1]). Majores enim in plerisque provin-

[1]) Nonnullorum tamen vicorum terræ, seu ob locorum naturam, seu ob singularem colendi rationem in duos vel in quatuor campos divisæ, vel etiam in unum collectæ jacebant, v. L. Scan. IV. 11. L.

ciis jam mature eadem permutatione trium camporum (Trevangsbrug), quam inter plures Europæ populos olim receptam deprehendimus, in agris colendis utebantur, ut quotannis duos campos (Rugvangen et Bygvangen) hiberna et verna semente subigentes, tertium (Fælleden) ad pascua pecorum relinquerent [1]). Jam vero quum commodum visum esset, omnes rusticos ejusdem vici eodem anno eosdem tractus colere, ut reliqui *communia* forent pascua, universas primum terras in tres campos dividentes, æqualem cujusque partem singulis impertierunt. Æqualitas vere partium non ex superficie modo, sed etiam ex natura et situ agrorum pendebat, quæ quidem in campo late patente diversis locis forsan diversissima erant. Quare in campo ipso ante divisionem tractus, qui aut natura (velut arva et prata) aut situ diversi videbantur, discreverunt, singulosque deinde tractus (Aaser, Agerskifter) in æquales portiones, pro numero divisorum, partiti sunt [2]), ut omnes et arvorum et pratorum, et meliorum et pejorum tractuum partem haberent. Partitione hac via peracta, de fundis domesticis (Huustofterne) sortibus consuluerunt, et eodem ordine, quo cuique fundi domestici, eodem portiunculæ in singulis tractibus obvenerunt [3]). Omnes vero terræ, quæ hac

Sjæll. Vald. III. 5. Langeb. Scriptt. R. D. VI. 430 sq. 432 sq. 435 sq. A. Berntsen l. c. I. 7 sq.

1) Nonne eadem camporum permutatio est, quam Tacitus (de moribus Germ. cap. 26) obscure innuit?

2) A. Berntsen, l. c. III. pag. 450. 460 sq. 464 sq.

3) L. Sjæll. Erici II, 55. L. Jut. I, 55. Hæc divisio-

divisione cuique patrifamilias contigerant, junctim *ból* (vel *höfn*) vocatæ sunt.

Via præscripta obtinuerunt, ut *omnia ból in eodem vico ejusdem essent ambitus et bonitatis* [1]; nihil vero impedivit, quo minus *in diversis vicis diversa* fierent [2]). Initio tamen hæc prædia *sensu oeconomico* haud admodum diversa erant. Unumquodque enim ad familiam rusticam alendam sufficere, seu, quod fere idem est, tot arva, quot uno oratro commode subigi poterant, continere debebat [3]). Si terrarum primæ divisionis ad hoc satis esset, haud facile proficeret dilatatio earum; sin minus, terræ desertæ circumquaque ja-

---

nis ratio — cum ea conveniens, quæ usque ad recentissima tempora, quibus denique terræ disjectæ rusticorum in majores portiones collectæ sunt, inter nostrates obtinebat — fere eadem est, atque ea, quam descripsit b. Olufsen (Om Danm. indv. Forfatn. i de ældre Tider, vide det K. D. Vidensk. Selsk. philos. og hist. Afh. I. pag 268 sqq. cfr. pag. 342-347), et cujus usus inter antiquos patres pæne innumeris legum et aliorum monumentorum locis firmatur.

1) Cfr. Andr. Sunonis leg. pr. Scan. IV. 1. et Libr. cens. Vald. pag. 64.

2) Exempla sunt tum æqualitas, tum diversitas octavarum (Ottinger v. Ottingboel), quibus etiam hodie in plerisque Jutiæ meridionalis regionibus terræ rusticorum æstimantur, v. Aagaard, Beskriv. over Törning Lehn. pag, 81.

3) Olufsen l. c. pag. 274. sqq.

cebant, quas, nemine impediente, occupare possent. Novis autem agris mansi tum demum vere aucti sunt, si ab omnibus proprietariis junctim occupati, et funiculo iis divisi campis vicanis adjecti essent. Mansus enim semper certa pars erat camporum vicanorum, quæ funiculo dimensi fuerant *(repdraghne iorthe)*, ut, si quis questus esset, terminos mansorum esse mutatos, nova dimensione justus eorum ambitus inveniri posset. Si quis præter agros dimensos terram aliquam incultam suum in usum subegisset, hæc *(ornum)*, peculiari sepe circumdanda, nunquam funi subjicienda erat [1]). Ex quo autem lege sancitum fuerat, omnia loca inculta *(almenningar)* ad regem pertinere, in quibus pecora quidem pascere arboresque cædere liceret, quæ vero in arva propria mutare non amplius rusticis integrum esset, dilatatio mansorum impedita est [2]). Exinde igitur mansi prædia erant rustica, neque augenda, neque minuenda, quæ in singulis vicis non modo numeris, sed peculiaribus etiam nominibus [3]) facillime discernebant. — Quæ quum ita sese haberent, distributio onerum militiæ secundum regulam: quot ból vel hafnæ, tot milites sistendos, quum initio satis æqua, tum semper simplicissima erat.

---

1) L. Jut. I. 46, 55.

2) Cfr. K. Ancher, Om de gl. danske Loves Grundsætn. § 25.

3) Langeb. S. R. D. IV. 471 sq. 475-477. 485. 507. 509 etc.

§. 19.

Aucto deinde proprietariorum numero, quum prædiorum, non mansorum numerus esset augendus, in minores partes mansos secuerunt. Hæc subdivisio priore illa omnium terrarum partitione nitebatur. Singulos dimidios mansos, verbi causa, dimidia pars ut fundi domestici ita omnium portiuncularum, ubicunque sparsæ essent, sequebatur [1]). Quæ tamen subdivisiones prædiorum quidem, vix militum auxerunt numerum. Non potuit enim non iniquum videri, duplex, triplex vel quadruplex tributum ex alio manso requiri, quod inter duos, tres vel quatuor possessores divisus esset, dum ex alio simplex modo præstaretur. Regula contra, e qualibet hafna unum militem sistendum, porro servata, compossessores unius mansi onus militem sistendi junctim sucipientes ita haud dubie inter se partiti sunt, ut singuli pro rata portione et omnes expensas ferrent, et belli labores (per vices) subirent. Divisiones igitur mansorum æquitatem distributionis antiquæ non sustulerunt. Sed quo diligentius terræ excolebantur, eo magis patebat in Jutia saltem diversitas mansorum.

---

1) Cfr. L. Scan. IV. 11. L. Sjæll. Vald. III. 5. Quare lites compossessorum ejusdem mansi (the thær i bool samæn æræ) de partium limitibus inter ipsos funiculi dimensione componendæ erant. Dubio autem de justa ipsius mansi magnitudine exorto, omnes simul terræ vicanæ funiculo subjectæ sunt. Leg. Scan. IV. 9, Leg. Sjæll. Vald. III. 4, Leg. Sjæll. Erici II. 54, Leg. Jut. I. 45.

Incertum quidem, cur in hac inprimis regni parte mansi tam diversi fuerint; varietatem tamen soli inculti, in hac provincia facile majorem, quam in cæteris, in præcipuas causas retulerimus. Fac enim rusticos quosdam occupasse tractum, cujus aliæ partes, huc illuc sparsæ, fertiles, aliæ erice obsitæ omnem culturam respuere viderentur. Ut terræ arabilis et pascuæ quantum satis esset haberent, primi acquirentes terminos latius extendere coacti fuerunt, amplitudinem tamen minime in lucro ponentes. Postea vero, aucto cultorum numero, quum erice sensim sensimque evanescens lætis segetibus locum dedisset, his mansis re vera ampliores erant agri, quam aliis, quos ita initio extendere nulla necessitas jusserat. Sed quidquid demum fuerit, hoc certum est, mansos Juticos seculo tertio decimo tam diversos fuisse, ut alii sextuplo vel septuplo majore pretio, quam alii æstimarentur [1]). In tanta mansorum diversitate si antiquam distributionis regulam secuti essent, fieri potuit, ut rusticus parvum mansum colens idem expeditionis onus solus ferret, quod interdum sex alii, qui magnum mansum inter se diviserant, licet horum singuli non minores terras, quam ille, colerent, junctim ferendum habebant. Hanc iniquam distributionem quomodo æquo ferre animo? Querelæ inde natæ sine dubio novam onera distribuendi rationem provoca-

---

[1]) Libr. cens. Vald. secundi pag. 5. 6. 11. cfr. Libr. Arhus. ap. Langebek, Scriptt. R. Dan. VI. 426. 427. 429. 431. 434.

runt, quæ æstimationi terrarum superstructa [1]) in lege Jutica adumbratur.

§. 20.

Hæc terrarum æstimatio, quæ non in expeditionis modo plebejæ historia maximi est momenti, *gulswirthning* in lege nuncupatur [2]). Cujus nominis origo haud dubia est. Eadem enim lex expeditionis onera rusticis, prout marcas auri et argenti in terris habent, distribuit, satisque perspicue simul innuit, marcam auri in terris octo marcas argenti continere [3]). Hujus æstimationis ratio, si quidem exactam ideam oneris militiæ, quale majoribus incumbebat, mentibus informare licebit, incognita manere nequit. Quam molestum sit onus aliquod, non tam ex eo, quod ferendum, quam ex viribus, quibus ferendum sit, dijudicari debet. Expeditionis onera rusticis pro ambitu rei rusticæ

---

[1]) Errat igitur b. *Olufsen*, qui negat (l. c. pag. 299. 300. 305 sq.), hunc censum publica valuisse auctoritate, quippe qui rei publicæ plane inutilis fuisse ei videatur. Partim scilicet regibus antiquis nullum jus populo inconsulto et invito tributum irrogandi competebat (quid vero si consensisset populus?), partim nullum tributum invenietur secundum terrarum æstimationem olim impositum. Mirandum sane, sagacissimum scriptorem non observasse, expeditionis onus, gravissimum illud vectigal, ita injunctum fuisse.

[2]) Leg. Jut. III. 55. 58.

[3]) Leg. Jut. III. 12.

distributa sunt; vires eorum hæc ferendi tum denique cognoscemus, si hunc ambitum metiri licuerit. Quod fieri nequit, nisi, quantum terræ majores marca auri putaverint, inveniamus. Nostrum est igitur inquirere, quid veteres in hac æstimatione secuti sint [1]).

Leges ipsæ, præter vocabula illa technica, nihil habent ad hujus æstimationis rationem illustrandam, nisi eo referre velis, quod in lege Jutica [2]) terra unius marcæ auri eadem militia oneratur, atque illa, quæ colono elocata *censum* (annuum) octo ortugarum argenti proprietario reddebat. Quæ quidem æquiparatio extra dubitationem ponit, *quid* illis marcis auri veteres taxare voluerint. Quorsum enim, nisi ad *pretium ipsius prædii*, respexissent [3])? At neque e pretio, neque e censu

---

[1]) Hanc quæstionem difficilem jam antea tractarunt *Thestrup* (Danm. og Norges Krigsarmatur p. 413 sqq.), *Thorkillus Baden* (Beskr. over de paa Bernstorff iværksatte nye Indretn. pag. xxxvii sqq. 88 sqq.) et *Th. Aabye* (Jordeiendommenes Skyldsætning samt de ældre og nyere Matriculeringer for Danm. &c. pag. 33—35). Horum errores bene refutavit *Olufsen* (l. c. pag. 281 sqq. 308 sq.), cujus sententiam iterum rejecit *Jahn* (l. c. pag. 39—56). Quo jure horum auctorum disquisitionibus nodum non solutum dicamus, judicent, qui eas cum nostra jamjam instituenda comparare velint.

[2]) L. III. cc. 12. 13.

[3]) Cfr. Scriptt. R. Dan. V. 242. Dipl. Arna-Magn. I. 270.

prædii magnitudinem ejus efficere licet, quamdiu nescitur, quid illis constituendis secuti sint.

Clariorem lucem rei offundere videntur *indices* legum codicibus satis crebro additi, regulas exhibentes, quas tum in mulctis, antiquiore moneta a lege dictatis, recentiore computandis, tum in nominibus, quæ ad censum veterum spectabant, interpretandis, jurisconsulti recentioris ætatis observarunt. In hisce enim indicibus mansi magnitudo diversis modis definitur. Dum regularum aliæ certo marcarum auri et argenti numero mansum æstimant, aliæ certo censu eum taxant, aliæ denique certum agrorum numerum in eodem supputari jubent, quin magnitudinem horum agrorum quomodocunque indicant. Tres igitur patent viæ, quæ ad eundem scopum ducere videntur. Sed diligentius has vias investiganti spes eo perveniendi haud parum minuitur. Regulæ enim inter se ita discrepant, ut ad eadem tempora, vel ad eadem loca pertinere non possint. Perlegas, quæsumus, illam farraginem regularum, quam A. Berntsen nobis exhibet [1]), et quanta sit hæc discrepantia facile intelliges. In indicibus tamen archetypis, quales legum codicibus annexi sunt, regulas nusquam ita inter se permixtas legimus. Quæ in plerisque indicibus, et quidem sæpissime solæ, afferuntur, hæ sunt:

marca auri æqualis est 8 marcis argenti in terris
styrishafna est terra 24 marcarum argenti,

---

[1]) Danm. oc Norgis fruetb. Herlighed, II. 23—25.

una styrishafna cum dimidia facit plenum mansum (ból),
plenus mansus habet 36 marcas argenti,
mansus est terra 8 orarum,
mansus dat censum 24 ortugarum (solidorum).

In aliis commentariis regulæ plane aliæ leguntur, quæ manso 256 agros tribuunt ejusdem latitudinis, eundemque terram dicunt 128 solidorum, 12 marcis auri vel 256 marcis argenti æstimatam [1]). In nonnullis quidem codicibus has regulas juxta illas positas invenies, sed utrasque seorsum collectas ubique videbis, antequam Berntsen eas commiscuit.

---

[1]) Indicem quendam hujus generis, e codice quodam seculi 16ti (inter mssta bibl. Univers. Magnæana No. 12 in 8vo) descriptum, Suhm inter notas ad libr. cens. Valdemari (Scriptt. R. Dan. VII. 555 sq.) typis vulgari fecit. Cum nonnullis aliis, quos ipsi exscripsimus, in plerisque consentit. A. Berntsen in commentario suo similes quidem, sed non easdem omnes habet regulas, dum prædio, quod ille vocat *Boel*, tanto pauciores adscribit agros, ut quartam vel etiam octavam modo partem integri mansi (secundum indicem Suhmianum) faciant. Neque tale prædium majore pretio, quam 24 vel etiam modo 12 marcis (argenti) æstimat, etsi alias integro manso terram 12 marcarum auri tribuit. Noluimus tamen has regulas ad novam quandam classem referre; diversitas enim e more, jam ante seculum decimum septimum certe vulgari, dimidias, quartas vel octavas partes mansorum κατ' ἐξοχὴν *Boel* vocandi, explicari potest. Etiam alia vestigia hujus moris in commentariis nostris adsunt.

Quæ quum ita sint, facile patebit, nobis optionem non datam esse inter varias vias, quas illi commentarii aperire videntur, siquidem non omnes eodem ducunt. Mansi potius, qui certo agrorum numero constabant, ut majorem æstimationem, ita majorem ambitum habuerint, quam cæteri, necesse est, nisi forte marcæ auri et argenti, quibus illi æstimantur, minoris fuerint pretii. Nostra igitur multum interest cognoscere, quænam regulæ illam terrarum æstimationem referant, quæ distributioni onerum militarium ævo Valdemariano substructa esset. Ad hanc quæstionem illustrandam indices ipsi nihil habent. Quamvis enim certum sit, regulas ad diversas classes pertinere, quæ ratio his classibus intercedat, in medio relinquitur. Neque nobis contigit rem ad liquidum perducere, etsi quæ dubia permanserunt disquisitioni nostræ haud facile efficiunt. Quoquo enim modo se res habeat, regulæ, quæ certum agrorum numerum ejusdem latitudinis mansis tribuunt, antiquis Danorum mansis, quorum originem et rationem supra delineavimus, minime aptatæ sunt. Ne enim dicamus, haud quaquam intelligi, quomodo fieri posset, ut mansi ita comparati neque plures neque pauciores haberent agros, leges ipsæ tali agrorum numerationi repugnant jubentes [1]), *integrum* campum vico adjacentem, quoties de magnitudine unius cujusdam mansi certaretur, funiculo subjici. Item ut justa magni-

---

[1]) L. Scan. IV. 9. L. Sjæll. Vald. III 4. L. Sjæll. Erici II. 54. L. Jut. I. 45.

tudo partis alicujus inveniretur, totius mansi mensuram agere oportebat. Quorsum vero hoc, si ambitus mansorum non ex ambitu totius campi proxime penderet? Si certo agrorum numero ejusdem latitudinis constitissent mansi, hæc extentio mensuræ supervacanea sane fuisset. Quam leges non comprobant mansorum rationem, neque exempla ratam faciunt. Inter tot prædiorum descriptiones, ante unionem Calmariensem exaratas, quæ nobis ante oculos venerunt, ne unam quidem indagare licuit, quæ terrarum spatium numero agrorum definit, quamquam facillime ita indicatum videtur. Attamen si eosdem mansos aut censu 128 solidorum aut pretio 256 marcarum argenti æstimatos haberemus, cur agrorum numeri, æstimatione jam dati, omitterentur, haud dubium esset. Sed ubicunque in illis descriptionibus mansus certam habeat æstimationem, 8 oris vel 24 solidis vel 240 denariis in censu ducitur. Quæ quidem æstimatio quam parum manso 256 agrorum congruat, cuivis patebit. Quot marcas auri et argenti in terris habuerint mansi 24 solidorum, nullo quidem exemplo probare possumus, quum marcis iidem æstimari non soleant. Sed e disquisitione infra instituenda patebit, eos, regulis primæ classis convenienter, 36 marcis argenti, quarum octo marcam auri facerent [1]), æstimandos fuisse, pretium saltem 12 marcarum auri, nedum 256 marcarum argenti, eos non æquasse.

[1]) Scriptt. R. Dan. VI. 435.

Itaque quum facile appareat, majores nostros ævo Valdemariano, quin multo post, in terris æstimandis regulas primæ classis sequi solitos esse, non tamen plane negabimus, regulas, quas ad secundam classem retulerimus, nusquam in Dania eodem tempore observatas esse. Aliis forsan continget, exempla desiderata indagare. Constat, incolas occidentalis et meridionalis partis dioeceseos Slesvicensis in terris suis dividendis et æstimandis alias leges, quam cæteros, secutos esse [1]. Huc forsan pertinent regulæ, de quibus quæritur. Forsitan prædia rustica ex aliis legibus, ex aliis urbana censebantur. Attamen quum regulæ secundæ classis indubia exhibeant recentioris ævi vestigia [2], potius crediderimus, easdem ultimis demum medii ævi seculis, antiqua terrarum divisione et æstimatione multis in locis abolita, ita alicubi observatas esse, ut vectigalia secundum illam æstimationem olim agris imposita secundum hasce regulas exigerentur. Sed hæc hactenus. Quidquid enim fuerit, dubitatio de usu harum regularum disquisitioni nostræ de distributione militarium onerum ævo Valdemariano aut parum aut nihil officere poterit.

---

1) Libr. cens. Vald. pag. 17. Registr. capituli Slesv. Scriptt. R. Dan. T. VI. Libr. cens. episc. Slesvic. a. 1436. ibid. Tom. VII.

2) Argumentis enim ex historia rei numariæ petitis probatur, seculo demum quarto decimo fieri potuisse, ut 12 marcæ auri 256 æquarent marcas argenti. Cum hoc numero iterum census 128 solidorum et agrorum numerus (256) cohærere videntur.

§. 21.

Itaque cum solis primæ classis regulis hoc loco nobis res erit. Eædem vero, *per se spectatæ*, haud paucas difficultates afferre videntur. *Mansum*, ad quem pleræque regulæ spectant, diversissimis pretiis olim æstimatum fuisse, supra docuimus; sed in indice nostro *certam habet taxationem*. Deinde non una, sed *duplici ratione taxatur*. Mansus dicitur terra 36 marcarum argenti et terra 8 orarum. Quid sibi velit terra 8 orarum, regula sequente forsan explicatur: mansus dat censum 24 solidorum (ɔ: 8 orarum). Causam, inquis, duplicis æstimationis illustrat L. Jut. III. 12. 13, ubi onera expeditionis inter rusticos proprietarios secundum marcas auri et argenti, quas habent in terris, inter colonos secundum censum, quem solvendum habent, distribuuntur. Diversitas igitur æstimationis ad cultorem modo spectat. Mansus ab ipso possessore cultus terra 36 m. arg., colono locatus terra 8 orarum vel 24 solidorum dicebatur. Ita sane videri potest; sed jam alia oritur difficultas. Lex Jutica terram, quæ 8 sol. argenti reddit, terræ unius marcæ auri æquiparat. Itaque terra 3 marcarum auri vel 24 marcarum argenti videtur 24 solidos argenti quotannis pependisse, quod etiam affirmat index apud A. Berntsen. At secundum nostrum indicem, approbante eodem indice apud A. Berntsen, terra 36 marcarum argenti 24 solidos reddebat.

Ut hæc dubia decernamus, in indicibus ipsis nón subsistendum, sed ad alia historica monumenta

confugiendum est. Jam vero literas quarti decimi et priorum seculorum, imprimis libros censuales [1]) diligentius pervestigantes brevi animadvertemus, *non in omnibus Daniæ provinciis eandem terras taxandi rationem vulgarem fuisse.* In *Jutia* tam septentrionali quam meridionali, in *Fionia* et *insulis adjacentibus* mansi quidem et partes mansorum enumerantur (terræ enim ita divisæ erant), sed nullam æstimationem terrarum indicant. Quot *marcis auri* æstimarentur, plerumque additur, et differentia numerorum satis docet, quam incommoda mensura harum provinciarum mansus fuisset [2]). In *Sjællandia* contra, *Lalandia* et *Mona* insulis census terrarum pro æstimatione earum valet [3]). Census non modo oris, solidis et denariis computatur, sed etiam mansi (integri, dimidii et quartæ ejus partis) nomen censum indicat, et diligentior computationum perscrutatio docebit, mansum hic semper terram esse 8

---

[1]) Vix crederes, neminem, qui hucusque veterum æstimationem terrarum in quæstionem vocaverint, hæc monumenta digna habuisse, quæ in consilium adhiberentur.

[2]) Vid. locos supra pag. 66. in nota citatos. Alii mansi tribus modo, alii viginti marcis auri æstimantur.

[3]) Libr. cens. Vald. pag. 32 sqq. 73 sqq. Libr. donat. monast. Sorensis ap. Langeb. S. R. Dan. Tom. IV. et Registr. redit. episc. Roskild. ibid. Tom. VII.

orarum vel 24 solidorum in censu [1]. Eundem nunquam alium censum habuisse, negat quidem exemplum mansi 12 terræ oras continentis [2]. Hujuscemodi tamen exceptiones rarissimæ fuisse videntur. Sæpius autem mansi octo orarum nunc largiores, nunc angustiores terras habuisse dicuntur [3]. Quod tantum abest, ut offendat, ut potius mirum videatur, mansos in hisce provinciis tam æqualiter ab initio fuisse divisos, ut post plura secula nostrates terris æstimandis eam divisionem quomodocunque sequi possent. Utrum hoc æquali terrarum fertilitate, an singulari quadam occupationis lege factum sit, nescimus. In *Falstria*, insula haud minus fertili, tam diversi erant mansi, ut census eorum simul addendus esset [4]. In *provinciis trans fretum Oresundicum* eadem ratione, atque in Sjællandia, incolæ terras suas æstimasse videntur [5].

---

1) Registr. redit. ep. Roskild. l. c. pag. 18. 28 sq. 30 sq. 42. sq. 57. Idem affirmat auctor libri Arhusiensis (Langeb. S. R. D. VI. 424) dicens: "semper quasi per totam Sielandiam census octo orarum facit unum bool."

2) In eodem registro red. ep. Rosk. l. c. pag. 11.

3) Langeb. S. R. D. VI. 424. VII. 22. 26 sq. 28 sq. 30. 32. 34. 44 sq. 54 sq. 67. 105.

4) Libr. cens Vald. pag. 29—31. 64—71.

5) Diplomatar. A. Magn. I, 264. Scriptt. R. Dan. III. 428. VII. 45. 536. (Libr. cens. Vald. pag. 60), Libr. dat. Lund., ibid. Tom. III et IV passim, Leg. Scan. IV. 9. 11—13. Nescimus, quo factum sit,

Quibus observatis, si indicem nostrum iterum examinas, jam melius intelliges oeconomiam ejus. Quæ de diversitate mansorum in Jutia observavimus, regulis ejus non repugnant. Duplex terrarum æstimatio ad diversas provincias, occidentales et orientales, spectat, et discrepantia census, quam vidimus, exinde etiam derivanda videtur. Index tamen simul docet, utramque æstimationem inter se certa proportione consentire, facilique computatione, quot marcas auri et argenti valeat terra, cujus censum cognoscamus, et vice versa, quem censum habeant marcæ, inveniri posse [1]). Quin haud desunt exempla [2]) prædiorum, quæ, quum in provinciis orientalibus sita essent, tamen marcis auri in diplomatibus æstimantur. Quæ quidem exempla innuere videntur, hanc æstimandi rationem, omnibus forsitan provinciis præscriptam, alteram illam, antiquiorem, in provinciis orientalibus submovere non potuisse. Neque necessitas urgebat; utramque enim æstimationem nomine potius quam re diversam videbimus.

§. 22.

Quæ hucusque cognovimus ad externa, ut ita dicamus, pertinent: *regulas, quas terris æsti-*

ut *taxationes prædiorum Scanicorum*, quas vidimus, quum pauciores tum minus exactæ fuerint. Quæ igitur, paucis modo exemplis ducti, non sine omni dubio affirmavimus, pluribus probata optamus.

1) Diplomat. A. Magn. l. c.

2) Scriptt. R. Dan. III. 452. IV. 468. 475. VII. 526. 528. 536. 541 (Libr. cens. Vald. pag. 33. 39. 63. 74).

mandis majores secuti sunt, adhuc quærimus. Nomina æstimationum technica ostendunt ad summum, *quid*, nón *quomodo* æstimaverint. Prædium, quod pretium 36 m. arg. habebat, colono, ut videtur, elocatum censum annuum 24 solidorum reddebat. At etiamsi ratio, quam lex in æstimatione terrarum pretio cum censu annuo intercedere volebat, nobis quam maxime cognita esset, hæc tamen prædii magnitudinem non definit, quamdiu regulæ aut censu aut pretio constituendo observatæ incognitæ maneant.

Verum si indice nostro ductus registrum, ut dicitur, redituum episcoporum Roeskildensium [1]) diligenter perscrutaris, idque cum libro Arhusiensi [2]) aliisque monumentis comparas, haud facile diu latebit, quid veteres terris taxandis secuti sint.

Census terrarum non sola superficiei mensura nitebatur. Quod, præceptis legum supra citatis de justa prædiorum magnitudine invenienda jam

---

1) Ibid. VII. 1—152. Hic catalogus, circa a. 1370 exaratus, maximi est momenti ad rem rusticam medii ævi illustrandam, quod accurata diligentia numerosa recenset episcopalia prædia, quot villæ in singulis vicis, quantæ terræ singulis villis adjectæ, quæ vectigalia denique episcopo quotannis inde pendenda essent.

2) Scriptt. R. Dan. T. VI vide pag. 423—436. Bona mensalia capituli Arhusiensis pauciora quidem, quam episcopi Roesk., sed accuratissime descripta sunt.

probatum, liber censualis episcopi Roeskildensis confirmat, permultis in locis [1]) nunc latiorum, nunc angustiorum agrorum, qui aliis mansis præ aliis erant, mentionem faciens. Æstimatio quædam, exactæ terrarum demensioni ita superstructa, ut ad bonitatem earum simul respiceretur, neque in veterum temporum simplicitatem cadit, neque melius cum præceptis legum sæpius laudatis convenit. Sed tertiam quandam taxandi rationem, in monumentis historicis, quæ seculo quarto imprimis decimo scripta nobis restant, frequenter adhibitam, ad antiqua etiam illa tempora, de quibus hic agimus, referre non dubitamus. In hisce monumentis magnitudinem terrarum, quam non censu publico vel non eo solo definiunt, e *semente annua* computant. Hæc æstimandi ratio simplicitate tam conspicua est, ut ab antiquitate minime abhorreat. Ampla adparatione non eget. Haud iniqua eadem dicenda est; ubertas enim messis e semente proxime pendet. Bonitatis præterea terræ quadamtenus simul rationem habet, siquidem eadem superficies boni agri uberiora sata, quam mali capere potest. Itaque quum difficile sit dictu, quamnam aliam rationem majores terris taxandis ob oculos habere potuerint, tum hæc ipsa necessitati eorum tam bene convenire videtur, ut ante omnes iis in mentem venire debuerit. Eadem erat taxandi ratio, qua temporibus demensionem terrarum sub Christiano quinto proxime antecedentibus nostrates utebantur.

---

[1]) Citati sunt supra pag. 76. not. 3.

E semente censum fundi domino debitum *(Hartkorn)*, ex eadem vectigalia regi pendenda computabant. Septimo quidem decimo seculo antiquissima terrarum divisio et æstimatio, quippe quam, tanto interjecto temporis spatio, sequi non possent, plerisque locis abrogata fuerat; recentior vero taxatio, quæ pro antiquiore substituta fuerat, hanc tantum emendasse, non rationem ejus mutasse videtur. Argumento est, quod sensim modo sensimque, prout commodior videbatur, adoptata est recentior illa æstimatio, quin per plura secula juxta antiquam posita [1]) hanc nunquam ubique removit. Quæ igitur medio seculo septimo decimo plerisque Daniæ regionibus communis erat terrarum æstimatio accuratior modo antecedentis retractatio videtur, legibus neque impedita, quippe cujus ratio eadem esset, neque imperata. Assentit epistola seculi quinti decimi [2]), ubi *antiqua* terrarum æstimatio ad sementem respexisse dicitur. E registro redituum episcopi Roesk. discimus, certam fuisse rusticis cognitam satorum copiam, quam

---

[1]) In libro cens. episc. Roesk. a. 1370 prædia aliorum vicorum antiqua, aliorum, sæpe vicinorum, emendata ratione censentur (quomodo utraque ratio dignoscatur, vide infra). Ex edicto Coldingensi Christiani III a. 1558 art. 38 apparet, antiquam terrarum divisionem et æstimationem etiamnum vulgarem fuisse.

[2]) Cujus brevis epitome in libro donat monast. Nestv. servatur, Scriptt. R. Dan. IV. 364.

mansi Sjællandici capere solerent [1]). Seculo duodecimo in Hallandia saltem æstimatio terrarum sementem sequebatur [2]). Quum ex jam dictis veri simillimum videatur, mansos provinciarum orientalium eodem censu *ideo* æstimatos esse, quod eandem fere segetis copiam quotannis capere solerent, multo tamen majorem sententia habebit fidem, si inveneris, quanta fuerit *ordinaria satorum copia.* In libro censuali, quem sæpius laudavimus, episcopi Roeskildensis antiqua terrarum æstimatio additamento "*in censu,*" emendata alio quodam: "*in semine*" signatur. Sæpissime vero utrumque omittitur, et permultis locis non liquet, hoc an illud sibi voluerit auctor. Hic loquendi usus, quem sequitur auctor alias diligentissimus, jam fidem nobis facit, terram 8 orarum in censu, i. e. mansum, re ipsa haud diversam fuisse a terra 8 orarum in semine. Nec facile aliter se res habere potest. Terra unius marcæ (i. e. 8 orarum) in semine tanta erat, quantam uno aratro subigere licebat: idem de manso prædicatur [3]). Mansus igitur vix uberiorem segetis copiam, quam 8 oras frumenti quotan-

---

1) Verba: "Curia principalis habet in semine 3 mansos terre," Scriptt. R. Dan. VII. 16, hoc manifesto docent, cfr. ibid. pag. 22. 67.

2) Ibid. IV, 471.

3) Ibid. VII. 19. 54. Jam per se verisimile est, mansum fuisse terram unius aratri, v. Olufsen, om Danm. ind. Forf. i de ældre Tider, in Vid. Selsk. hist. og philos. Afh. I, 274 sqq.

nis capere solebat. Sementem annuam 8 librarum (16 solidorum i. e. $\frac{4}{8}$ marcæ) frumenti solito minorem fuisse constat [1]). Quid omnino sibi vellet hæc definitio: "mansus est terra 8 orarum", nisi ad sementem respiceret? Definitio, inquis, ad censum annuum spectat: mansus ita definitur, quod exinde census 8 orarum fundi domino singulis annis solvendus erat. Audimus. Videamus igitur, quæ de censu solito mansi doceat liber noster censualis. Non eadem quidem ubique ratione census annuus æstimationi terrarum respondet. Observabis tamen, in universum rationem non mutari, sive censu sive semine terras æstimatas habeas. Quod sententiam nostram, horum verborum vim proprie eandem esse, iterum commendat. Censum annuum nunc frumento, nunc aliis fructibus, nunc nummis solvebant. Si frumento solvendus esset hujus copia frequenter, quod bene observandum est, æstimationem terrarum vel "in censu" vel "in semine" æquat ita, ut v. c. terra 2 orarum in censu vel 2 orarum in semine 2 oras frumenti redderet. Hunc modum census annuus fere nunquam excedit, nisi additur, terram esse "largam in semine" [2]). Sæpissime vero eum non contingit. Attamen, si reputare velis, plerosque colonos præter frumentum etiam alia minutia dedisse, et paucos modo angariis, etiamsi nulla earum mentio fiat, illo

---

[1]) Scriptt. R. Dan. VII. 105. Observandum est, duos modo campos (Vange) quovis anno subigi solere.

[2]) Ibid. pag. 22. 44.

tempore prorsus immunes fuisse; si huc adjicias, confectum esse librum 20 tantum annos post letalem illam pestilentiam anni 1350, cujus tristia vestigia ubique obvia etiam deminutio redituum persecuta est [1]): satis tuto ratiocinari licet, censum annuum ante a. 1350 sæpius, quam postea, sementem æquasse, quin aliqvando, angariis colonorum nondum cognitis, æquare solitum esse [2]). Quid multa? Regulæ nostræ habent, mansum, terram, 8 orarum, censum 8 orarum reddidisse. Jam veri simillimum est, mansum tantam fuisse terram, quæ quotannis sementem 8 orarum caperet, et colono elocata olim censum annuum 8 orarum redderet. Num igitur interpretatio illarum regularum adhuc dubia dicenda est? Quæ invenimus ita quærendis congruunt, ut etiam illustrent, cur in omnibus indicibus duplex semper afferatur mansi definitio. Altera enim definitio (terra 8 orarum) ad sementem, altera (terra, quæ censum 8 orarum reddit) ad censum spectat.

---

1) Sæpenumero dolet auctor, quod census annuus ipsius tempore minor erat, quam antea. Deinde magis deminutus est, ita, ut seculo septimo decimo census vulgaris tertia modo esset pars sementis annuæ, v. A. Berntsen l. c. II. 46. 57. III. 392. 414 &c.

2) Liber Arhusiensis, initio ejusdem seculi conscriptus, hanc sententiam jam confirmare videtur. Cfr. præterea Necrologium Lund. Scriptt. R. Dan. III. 428 sq. 458.

§. 23.

Magnitudinis tamen mansi nullam perspicuam ideam interpretatio nostra informabit ignoranti, *quanta octo illæ oræ essent frumenti copia, tum quanta terra, quæ tantam sementem quotannis capere soleret.* Hæc igitur, quantum in nobis est, breviter illustranda habemus. Quo facto, simul alia quædam adhuc obscura in clariore luce apparebunt.

Majores nostri, ut nummos gentium Germanicarum, prædationibus maritimis acceptos, diu ante in usu habebant, quam in propria incude domesticos signabant, ita in iis numerandis eandem, atque illæ gentes, computandi rationem adoptarunt. Sicuti Franci, regnantibus Merovingis, *libram* suam s. 12 uncias argenti in 288 dividebant *denarios*, quorum 12 *solidum* faciebant, item Danorum populi ab initio, ut videtur, 12 *denarios* (Penninge) *solidum* (ita in monumentis Latinis, respondet nomen Danico Örtug), 36 den. *oram* (Öre) et 288 den. *libram* (Pund) vocabant. Primi Carolingi denariorum pondus augentes, numerum minuerunt. Pipinus parvus libram in 22 solidos et 264 denarios, Carolus magnus eandem in 20 solidos et 240 denarios dividi fecit. Hanc libræ divisionem cæteræ gentes Germanicæ adoptarunt. Dani quoque, qui per duo integra secula sequentia nondum domesticos habebant nummos, in libra deinde 240 denarios numerabant. Sed, quum eandem etiam posthac in 8 oras et 24 solidos dividerent, solidus jam 10 modo denarios continebat. Dum ita in denariis

suis computandis majores nostri Francorum *libra* 12 unciarum utebantur, aurum tamen et argentum secundum *marcas* (Mark), alter alteri, adpendere solebant. Marcæ pondus modo duas partes libræ s. 8 uncias habebat [1]).

Nummi vero, etiam diu postquam moneta patria argentum signatum emittere coeperat, rariores erant, quam ut omnibus debitis solvendis sufficerent. Pleraque potius, quæ erat antiquarum gentium consuetudo, aliis mercibus solvere solebant. In hac solutione æstimationem quandam publicam, qua mercibus maxime vulgaribus certum pretium erat constitutum, sequebantur [2]). Ita legitimus iis erat *modius* (Skjeppe) tantum frumenti continens, quantum denarium argenti æquare volebant. Sed, quum non eodem pretio omnia frumenti genera æstimarent, nec diversos modios habere vellent, numerum modiorum pro pretio mutabant. Itaque in libra frumenti 288 modios *hordei*, sed 240 modios *secalis* et 480 modios *avenæ* numerari jubebant [3]). Quum libra frumenti, ut libra denario-

---

1) Majorum nummos computandi rationem, quam hoc loco leviter modo tetigimus, in commentatione quadam, a reg. soc. scient. Dan. præmio ornata, sed nondum typis exscripta, de re nummaria Danorum medio ævo, diligentius explicavimus.

2) Cfr. Leg. Saxon. Tit. XVIII. ap. Lindenbr. Cod. leg. ant. et inter Leibnitii Scriptt. R. Brunsv. Tom. I. L. Gul. Haconis Manh. B. c. 68. 73.

3) In mensura constituenda, utrum hordeum, an secale pro norma habuerint, inde pendet, ante se-

rum, in 8 oras, ora in 3 solidos divisa esset, solidus denariorum 12 modios hordei, 10 modios secalis et 20 modios avenæ æquabat.

Ita pro libra denariorum vel pro sesquimarca argenti antiquitus 8 oras frumenti substituere licebat. Mansus igitur Sjællandicus terra erat 8 orarum frumenti vel unius libræ denariorum in censu. Ne tamen diversis numeris modiorum computatio minorum partium turbaretur, censum denariis indicare malebant. Itaque mansus neque 288, neque 240, neque 480 modios, sed 240 denarios in censu reddidisse dicitur [1]).

Sed pretium frumenti quum ex ipsius tum ex argenti copia pendebat. Seculo undecimo quum divitiæ Danorum, piraticis non amplius sustentatæ, bellis contra, sterilitate agrorum, imprimis vero prædationibus Vendorum paulatim deminuerentur, annona quoque, ut videtur, ita decrescebat, ut sub finem ejus seculi 240 secalis modii marca vel 8 unciis argenti emerentur [2]). Eodem tempore nummi ipsi ita attenuati sunt, ut 240 denarii non amplius 12, sed 8 tantum uncias (marcam) argenti

---

culum nonum constituta sit, nec ne. Illud verisimilius videtur.

[1]) Scriptt. R. Dan. IV. 485. 489, 498 et sæpius. VII. 66. cfr. III. 428 sq. 458.

[2]) Hanc materiam peculiari quadam dissertatione "om Kornprisen i Danmark under Erik Eiegod" (Nordisk Tidsskrift, B. III. pag. 378—390) tractavimus.

continerent. Quo pondere lege, ut videtur, sancito, majores deinde 240 denarios marcam vocare coeperunt. Eandem ob causam libræ frumenti idem nomen imposuisse videntur, quod etiam posthac, licet ætate Valdemariana pretium ejus priorem modum non solum attingeret, sed etiam superaret, ei servabant [1]).

In modiis numerandis incolæ omnium provinciarum ad initio fere easdem regulas, nuper memoratas, observasse videntur. Modii vero ipsi in diversis provinciis diversissimæ erant magnitudinis. Quum seculo quarto decimo tonna Germanorum frumentum Danicum metiri coepissent, hæc mensura sex tantum eorum modiorum, quibus in provinciis orientalibus, octo autem eorum, quibus in Fionia et in mediis Jutiæ syslis utebantur, capiebat. In aliis syslis ad tonnam implendam 12, 18, quin 20 requirebantur modii. Cujus diversitatis origo inde explicanda videtur, quod magnitudo modiorum eo ævo constituta sit, quo syslæ, diversis imperiis subjectæ, non eadem utebantur sorte. Alii præterea modii maturius, alii serius sine dubio sanciti sunt. Imprimis vero fertilitas provinciæ et, quæ eam sequitur, major vel minor fructuum ubertas ad ambitum mensuræ amplificandum vel

1) In multis tamen provinciis incolæ denuo libræ nomen adoptantes sensum ejus (Germanos, ni fallimur, secuti) mutarunt. Libra frumenti, ubicunque in monumentis nostris decimi tertii et sequentium seculorum legitur, duos solidos frumenti, duodecimam partem marcæ, significat.

contrahendum vim maximam habuit. Quare septentrionales et occidentales Jutiæ partes minus fertiles et minus excultæ minores etiam habebant modios.

Quo majores modii, eo plures tonnas octo illæ frumenti oræ habebant. In provinciis orientalibus 40 tonnas secalis vel 48 tonnas hordei vel 80 tonnas avenæ continentes, in Fionia et in magna illa, quæ eadem utebatur mensura, Jutiæ parte secali 30 tantum, hordeo 36, avena 60 tonnas implebant. In cæteris partibus, pro magnitudine modii, 8 oræ majorem minoremve frumenti copiam habebant [1]).

de mensis Jutlandicis cfr p. 66.

§. 24.

Mansus igitur Sjællandicus quotannis sementem 8 orarum frumenti Sjællandicarum capere solebat. At non sine causa de frumenti genere quæritur. Quamquam enim in seminando secale fusius, quam hordeum, hoc iterum fusius, quam avena, spargitur, ut etiam nostro tempore, quantum sci-

---

[1]) A. Berntsen l. c. IV. 487—507 conspectum dedit mensurarum & ponderum, qualia ipsius tempore, medio seculo 17mo, in provinciis Daniæ obtinebant. Pleráque vero, si forte non omnia, inde ab antiquis temporibus servata fuisse, monumenta historica medii ævi satis testantur. Continget nobis fortasse, ut alio loco integram doctrinam de ponderibus et mensuris Danorum ea, qua par est diligentia tractare possimus. Quam disquisitionem jam diu præparavimus.

mus, terra, cui 40 tonnæ secalis committi solent, 48 tonnas hordei commode capiat; nostri tamen agricolæ eidem terræ, cui modo 40 tonnas secalis, nunquam mandant 80 tonnas avenæ, quibus multo majus postulant spatium. Majores autem, si ex eo, quod seculo 17mo fieri solebat, ratiocinari liceat, avena serenda non eundem, atque æquales nostri, modum servasse videntur. In edicto enim Christiani quarti regis, d. 28vo m. Julii a. 1632 promulgato, terræ, quæ semen unius tonnæ avenæ [1]) commode capiet, superficies 5625 ulnarum (Sjællandicarum) quadratarum statuitur. Quam mensuram A. Berntsen [2]) deinde suis tamquam normam ad dubia tollenda commendat. Tam angusto autem agro haud facile plus quam dimidiam tonnam secalis commissam putares. Nostri plerumque ne tam largum quidem semen ei credunt. Quodsi igitur e nostrorum modo terras ad sementem 40 tonnarum secalis manso adsignare vellemus, haud minores saltem haberet, quam quæ sementi 80 tonnarum avenæ olim sufficere videbantur. Quæ quum ita sint, norma a Christiano quarto præscripta nobis fide dignissima videtur dux, quam in re per se incerta sequi possimus, ut, quantos agros mansi vulgo habuerint, facilius ob oculos ponamus.

---

[1]) Avenæ quidem in edicto non proprie fit mentio. At, quum Norvegis datum sit, frumenti genus haud dubium putamus.

[2]) L. c. H. 57 sqq.

Ne manso deficerent agri ad sementem annuam 80 tonnarum avenæ, terræ 120 tonnarum ei tribuendæ sunt. Nam e more veterum supra commemorato tertia agrorum pars quotannis ad pascua relinqui solebat. 5625 × 120 = 675,000. 675,000 ulnæ quadratæ e vetere mensura Sjællandica faciunt 665,646 nostrarum ulnarum quadratarum [1]), i. e. circa 48 tonnas terræ, quales decempeda geometrica nostri metari solent. Quam magnitudinem iis proxime mansis, quibus satis uberes essent terræ, convenire putamus. Interdum fortasse angustiores agros, si optimæ essent notæ, sæpius certe latiores, sed eosdem pejores habebant. Prædium, quod terras habebat ad sementem annuam 80 tonnarum avenæ, secundum regulas sub Christiano quarto et Friderico tertio regibus in agris æstimandis observatas [2]) 13⅛ tonnis *Hartkorn* [3]) taxandum erat. Quæ tamen æstimatio hodiernæ nostræ, quacum alias non nomen tantum commune habet, non exæquanda est. Matricula enim recentior multo pauciores habet tonnas Hartkorn, quam illa, quæ ante Christiani quinti tempora obtinebat, nec nisi in terris optimæ notæ utraque convenit.

---

[1]) Olufsen l. c. pag. 288 sq.

[2]) A. Berntsen l. c. II. 46—57.

[3]) De hoc nomine vid. Gram, Kbhavnske S. Skr. V. 161 sqq.

§. 25.

Disquisitio nostra hucusque ad orientalium proprie Danorum æstimandi rationem respexit. Occidentales vero in terris æstimandis haud alia utique lege utebantur, licet non eadem adoptaverint vocabula technica. Æstimationem terrarum censu illi, hi pretio dabant. Pretio autem constituendo censum annuum, e semente pendentem, secuti, hunc ipsum quater et vicies auctum pretium prædii esse volebant. Quod probat lex Jutica (III. 12. 13), prædia 24 marcarum arg. de pretio et 24 solidorum arg. de censu eadem militia onerans, confirmat index sæpius laudatus apud A. Berntsen. Neque in Sjællandia alia obtinebat ratio. Octo oræ frumenti, quas singulis annis reddebat mansus, 12 uncias s. sesquimarcam arg. olim æquabat. Mansus ideo 36 marcis argenti æstimatus est. Itaque causa, cur in Sjællandia terra 24 solidorum in censu 36 marcis argenti, in Jutia contra prædium, quod 24 solidos argenti reddebat, 24 marcis arg. æstimatum sit, non amplius latet [1]). Vocabula nimirum technica æstimationis illic eo tempore, quo 24 solidi argenti pondus 12 unciarum habebant, hic postea, quum Dani marcam in totidem solidos dividebant, adoptata sunt. Primigeniis dicendi formulis orientales etiam postea perseverabant, quam pondera mutata fuerant. Ne vero formulæ nimis facile confunderentur, vocabula technica iidem plane nuda adhibebant. Man-

[1]) Vide supra pag. 74 sq.

sus, terra 36 marcarum arg., 24 *solidos* in censu habebat: terra 24 marcarum argenti censum 24 *solidor. argenti* reddebat. In commentariis præterea legibus annexis, licet non additum sit, '24 solidos, quas mansus semper in censu haberet, *libram* argenti indicare, pro iis tamen nunquam *marca* substituitur. Facilius autem, quam hac via, occidentales prædiorum suorum pretium, non censum, indicando omnem confusionem evitabant.

Quum mansus, s. prædium 48 tonnarum ex nostra mensura, 36 marcis argenti æstimatus sit, prædio 8 marcarum argenti s. unius marcæ auri tribuenda est terra 10 vel 11 tonnarum, cui quotannis semen 17 vel 18 tonnarum avenæ committi poterat. Quod cum iis, quæ aliunde cognita habemus, tam bene convenit, ut hac ipsa convenientia tanquam gravissimo argumento pro re nostra uti liceat. In unica tantum patriæ nostræ regione, in Anglia et Sundevit ducatus Slesvicensis, incolæ agris suis recentiore tempore permutandis et colligendis ambitum antiquum marcarum auri servarunt. Etiamnunc in literis emtionem testantibus semper afferunt, quot marcas auri habeat prædium. Hæ marcæ, ut exspectandum erat, non ejusdem ubique sunt magnitudinis. Plerumque tamen terram 20 magnorum modiorum (Heidscheffel [1])) ha-

---

[1]) Hæc mensura 6 parvos modios (Schip) continet. 512 Heidscheffel faciunt 405 tonnas, v. Kroymann, Anleit. z. Rechn. edit. 2. pag. 346.

bere videntur. Quam magnitudinem *Gude* [1]) iis in universum tribuit. Terra magni modii 144 virgas (Ruthen) quadratas continet, quæ faciunt 7757 ulnas quadratas Danicas. Itaque 20 magni modii efficiunt terram fere 11 tonnarum ex nostra mensura. In duabus partibus hujus terræ æquales ejusdem auctoris [2]) 20 magnos modios ɔ: fere 16 tonnas avenæ, majores autem, si regulæ Christiani quarti fides habenda, 18 tonnas seminare solebant. Recentior quidam scriptor [3]) docet, alias marcas auri in Anglia modo 16 magnos modios, alias 20 et plures, usque ad 32, habere. In melioribus tractibus minores, in pejoribus majores habent agros. Maximæ marcæ in iis inveniuntur regionibus, quæ magnas antea habebant silvas, quarum exstirpatione ita auctæ videntur.

Sed terræ majorum prædiorum raro omnes arabiles sunt. Pleraque simul prata habent in æstimatione haud omittenda. Regulæ, quas terra pascua cum arabili in æstimatione comparanda veteres sequebantur, nobis non cognita sunt. Veri tamen simillimum est, easdem regulas, quas observarent rustici seculi 17mi [4]), pratum, unde quatuor vehes foeni in foenile portare liceret, agro,

---

[1]) Bericht v. Sundewitt, pag. 21.

[2]) Ibid. pag. 23.

[3]) (Ingwarsen) Die Landwirthsch. in Angeln, Staatsbürg. Mag. III. 12 sq. not. cfr. pag. 8.

[4]) A. Berntsen l. c. II. 62 sqq. III. 392.

qui semen unius tonnæ avenæ caperet, æquiparantes, medio etiam ævo obtinuisse. Jam vero, si in libro Arhusiensi bona mensalia recenseas capituli Arhusiensis, ita descripta, ut, quanta esset sementis et foenisicia annua diligenter notetur, neque hic marcas auri æquales invenies. Aliæ ne duas quidem oras frumenti, aliæ tres oras capiunt[1]). Longe plurimæ tamen sementem admittunt 2 orarum et foenisiciam præbent 6 vel 8 vehium. Duæ oræ avenæ, e mensura Arhusiensi, faciunt 15 tonnas; foenisicia semini pæne duarum tonnarum æquiparanda est. Itaque tertio loco ratio nostra confirmatur, nec plura facile postulabis, ut veritatem ejus nobiscum extra omnem dubitationem ponas.

§. 26.

Censum illum terrarum, cujus rationem in paragraphis præcedentibus exposuimis, *publica* olim valuisse *auctoritate*, nemo facile in scriptis historiæ nostræ monumentis versatus in dubium vocabit. Attamen, quum contenderit nuper b. *Olufsen*[2]), eundem, et originis et usus ratione habita, privatum fuisse, haud supervacaneum erit, sententiam nostram sequentibus observationibus firmare. Terris olim pretium publicum constitutum fuisse, jam analogia aliarum rerum fidem facit. Quum ponderibus et mensuris publicis majores

---

[1]) Scriptt. R. Dan. VI. 425—427. 429. 434.

[2]) Vidensk. Selsk. philos. og hist. Afh. I. 301 sq.

aliis rebus suis pretium constituerint, non verisimile est, eosdem terras omisisse. Alioqui nihil habuissent, quod sequerentur, si terræ in solutum accipiendæ essent. Majoris adeo momenti inter nostrates olim hæc ipsa erat terrarum æstimatio, quippe cui distributio onerum militarium superstructa esset [1]). Quomodo, quæsumus, hæc distributio, nisi inter omnes constaret, quot marcas auri terræ singulorum vicorum, quot singula prædia haberent, crebras non excitaret controversias? At nunquam fieri potuit, ut — quæ est opinio b. Olufsen — omnium quædam prædiorum omnibus probata, æstimatio pretiis constitueretur, quibus, nunc carioribus, nunc vilioribus, nonnulla prædia a privatis hominibus emta vel vendita dicebantur. Quum hæ rationes prohibeant, ne æstimationi terrarum nobis cognitæ auctoritatem publicam denegemus, *constantia* ipsius, per decursum seculorum servata, hanc ei tribui jubet. Iisdem enim marcarum summis, quibus seculo tertio et quarto decimo prædia æstimabantur, jam diu antea æstimata fuerant. Quod verba sæpius addita: "secundum *antiquam* estimacionem," et: "sic *antiquitus* est appreciata," satis testantur [2]). Idem luculentius etiam affirmat diploma Erici Menved a. 1313, quo rex seditiosis Jutiæ rusticis poenam unius modii secalis e qualibet marca auri quotan-

---

1) Cfr. supra pag. 67, not. 1.

2) Libr. cens. Vald. pag. 16. 22, ap. Langeb. Scriptt. R. Dan. VII. 522. 523, Libr. Arhus. ibid. VI. 426. 427.

nis solvendi irrogans, severe interdixit, ne quis marcæ auri majores tribueret terras, *quam quæ inde ab antiquo tempore ei adjectæ fuerant* [1]. Majores igitur jam diu ante initium seculi 13mi terrarum suarum instituerant æstimationem, quam deinde sequebantur.

Pretia ita sancita haud alia erant, quam quibus prædia æstimationis tempore emi et vendi poterant, quibusque deinde sæpissime emta et vendita sunt. Ita a. 1259 mansus Sjællandicus constabat 144 marcis den. [2], quæ, quum 4 marc. den. fere marcam argenti æquarent, 36 marcas argenti faciebant. Sub finem seculi 13mi mansus 206 marcis den. [3], initio seculi sequentis adeo 240 marcis den. [4] venditus est. Sed, quum interea denarii æque attenuati essent, atque eorum numeri hic aucti appareant, pretium re ipsa non mutatum videtur [5]. Quo plures autem post institutam æstimationem effluxissent anni, eo rarius taxationi verum pretium convenisse, quum e rei natura tum e conditione rusticorum et rei rusticæ sensim sensimque haud parum mutata sequitur.

---

[1]) Hvitfeld pag. 368.

[2]) Scriptt. R. Dan. IV. 498.

[3]) Ibid. pag. 482.

[4]) Ibid. VI. 424.

[5]) Num aliis argumentis opus est, ut sciamus, regulam, quæ mansum 256 marcis argenti æstimet, vel ad nostros mansos vel ad hæc tempora non pertinere?

§. 27.

Disquisitione de terrarum censu, pro instituti nostri ratione, peracta, jam videbimus, quomodo expeditionis onera secundum hunc censum distributa fuerint.

Regulas hic observandas nobis exhibent capp. 12 et 13 libri tertii legis Juticæ, quæ, quum commentario nostro, quasi textus loco, præmittenda videantur, ita sonant: "*Bonde*, thær hauær mark guls i iorth æthæ meræ, göræ vt *thrithings hafnæ*, forthi thrithings hafnæ ris æi af minnæ æn a en mark guls. æn af fyræ mark silfs ris *sextings hafnæ*, a twa mark *tolftings hafnæ*. Af minnæ æn twa mark silfs iorth görs æi lething. Æn worther skiælnet a mællæ styræsman oc vtgærsmen, tha sculæ scoresmen oc skipnefningæ witæ meth theræ eth, hwat hin scal vtgöræ, ther sækthet ær. — *Landbo*, ther rethær attæ ortugh sils at skyld, göræ vt thrithings hafnæ. Then, ther fiyr örthugh ræthær, gör vt sexthingh hafnæ. Æn rethær han minnæ en fiyr örthugh, hwät hældær thet ær repdraghet æthæ kennæ land, tha rethæ örtugh silfs til kunungs garth" [1]).

---

1) I. e. *Rusticus* (proprietarius), cui marca auri est in terris, vel ultra, trientem suscipiat oneris ab integra hafna ferendi; triens enim non minori prædio, quam marcæ auri, incumbit. Prædium quatuor marcarum argenti sextam, duarum marcarum argenti duodecimam ejusdem ferat partem. E prædio minore, quam duarum marc. arg., nulla fit expeditio. Si inter gubernatorem et socios navales lis oritur, viri electi, qui vocantur scores-

Quum officii militandi, quale olim rusticis incumberet, imago ne leviter quidem adumbrari possit, nisi explicatio quædam horum verborum adjiciatur, fere nemo, qui rem nostram militarem tetigit, hanc omisit. Tantum vero abest, ut hæc crebra retractatio diversitatis sententiæ causa fuerit, ut potius nunquam fortasse in interpretatione prorsus falsa majorem consensum mireris. *Hvitfeldium*[1]) scilicet antesignanum secuti in ejus auctoritate fere omnes acquiescebant. Hvitfeldii igitur interpretatio, quippe quæ tantam vim habuerit, licet in diversis aliorum sententiis recensendis morari non soleamus, omittenda non videtur. Hæc est. Integra Dania in minora territoria (*hafne, hafnelag, styrishafne* seu *skipæn*) divisa erat, quorum singula terras 24 marcarum arg. habebant. E quavis hafna navis bellica duodecim instructa remigibus expedienda erat. Cui igitur marca auri erat in agris, tertia, cui quatuor marcæ argenti, sexta, cui duæ tantum marcæ, duodecima pars.

men et skipnefninge, jurejurando suo pronuntiant, quid reus præstandum habeat. — *Colonus*, qui censum octo sol. arg. solvit, trientem illius oneris, qui quatuor sol. pendit, sextantem suscipiat. Si quis minorem censum, quam quatuor sol., solvit, sive funiculo dimensa, sive circumsepta est terra, solidum arg. in villa regia pendendum habet.

[1]) Sententiam primum in præfatione editionis suæ juris aulici Norveg. (Hirdskraa) a. 1594, deinde in præfat. hist. Christiani primi, regis Daniæ, explicavit.

integri oneris sustinenda erat. Ille igitur quatuor, iste duos viros, hic modo unum expediebat. Iidem a colonis (terras conductas colentibus), qui censum octo sol. argenti pendebant, quatuor, ab iis, qui quatuor solidos solvebant, duo expediendi erant. Terræ duorum sol. arg. in censu expeditio unius bellatoris incumbebat. E quovis manso, sesquihafna, 18 viri armati mittendi erant. Quamlibet navem gubernator (*styresman*) ducebat.

Quam erronea sit hæc computandi ratio, facile intelligent, qui sciunt, quanta olim fuerit terra 24 marcarum argenti. Rusticum, qui terram 10 vel 12 tonnarum, etiamsi optimæ esset notæ, coleret, quatuor bellatores, quoties expeditio indicta foret, instruere potuisse, nemo sane animum inducet. Error e prava interpretatione ortus est verborum *hafnæ*, *hafnælag*, *styrishafnæ*, quæ quidem Hvitfeldius voci *skipæn* synonyma autumavit [1]. Styrishafna autem in indicibus semper 24 marcis arg. æstimatur. Tanta igitur erat etiam skipæn. Navem inde expediendam duodecim remigibus instructam putavit, quod duodecima pars totius expeditionis, e duabus marc. arg. facienda, minima erat expeditio, quæ quidem, ut ei videbatur, nec minor, quam unius remigis, nec facile major (tum

---

[1]) Cfr. K. Ancher, Lehnsret §. 33. Canuti episcopi interpretatio minus accurata vocis styrishafne (L. Jut. III. 20), cum Thord. Diacon. art. 13 (Lat.) collata, ansam fortasse dedit erroris, qui tamen, multiplici notionum et nominum permistione consummatus videtur.

enim cur non alia minor?) esse potuit. Quo minus difficultates hujus interpretationis perspiceret, illud inprimis obstitisse videtur, quod mansum nostrum triplo majoris putavit ambitus, quam revera fuerat. Terram, putamus, 8 orarum in censu marcam frumenti quotannis reddidisse jure existimans, eandem, sui temporis modo metiens, tantam fuisse credidit, quæ singulis annis sementem trium marcarum capere posset [1]). Servitus igitur prædiorum Hvitfeldio minor visa est, quam nobis apparet. Nihilo minus expeditionem sex militum e quolibet manso intolerandum füisse onus, quis non videt? Quare quum hæc interpretatio non posset non dubitationem sequentibus movere, inclytum tamen auctoris nomen hanc sustulisse videtur. Ad nostra usque tempora incolumis stabat Hvitfeldii sententia, quam *Osterson* [2]), *Berntsen* [3]), *Holberg* [4]), *Gram* [5]), *Thestrup* [6]), *K. Ancher* [7]), *Gebhardi* [8]), *Suhm* [9]),

---

[1]) Cfr. supra pag. 83 not. 1. Hvitfeldii computationem Osterson (Gloss. s. v. Boel), Berntsen (l. c. II. 24. 26) aliique repetunt.

[2]) Glossarium s. v. Hafne.

[3]) L. c. II. 25—29.

[4]) Danm. og Norges Staat (ed. secund) pag. 409—412.

[5]) Kbh. Selsk. Skr. II. 276 sq.

[6]) Danm. og Norges Krigsarmatur pag. 158. 167.

[7]) Dansk Lehnsret §§. 33, 34.

[8]) Kongeriget Danmarks Hist. I. 85. sq.

[9]) Vide not. 5. 61. 89. 104. 1022. 1029 al. ad librum censualem Valdemari, Scriptt. R. Dan. Tom. VII,

et qui sunt cæteri, qui ante hoc decennium de re nostra scripserunt, omnes comprobant [1]). Hunc inprimis errorem ut tandem profligaremus, sex abhinc annis officium militandi, quale majoribus revera incumbebat, adumbrare decrevimus. Ante vero, quam coeptum nunc quadamtenus perficere contigit, duos alios scriptores, jamjam beatos, *Olufsen* [2]) et *Jahn* [3]), Hvitfeldii sententiam rejecisse comperimus. Quomodo *Olufsen* nodum solverit, dissertatione ejus nondum typis exscripta, nescimus. Quantum vero ex verbis, quæ in dissertationibus postea scriptis leguntur [4]), colligere licet, interpretatio ejus a nostra haud parum dif-

cfr. Ejusd. Danm. Hist. IX. 416 et Saml. Skr. IX. 246. Tantum vero abest, ut *Suhmius* noster hiscê locis *Hvitfeldium* ubique sequatur, ut potius nunc placita Hvitfeldiana tanquam indubia afferat, nunc alias quascunque conjecturas probet, quæ inter se minime cohærentes ostendunt modo, celeberrimum auctorem hac in re nihil omnino certi habuisse, quod sequeretur.

[1]) Nuper etiam *Blom*, Unionskrigene pag. 120 sqq.

[2]) In diss. quadam de divisionibus regni Daniæ medio ævo, in societ reg. litt. Dan. prælecta, cujus argumentum inter acta hujus societatis (Philos. og hist. Afh. I. pag. XLI sqq.) breviter recensetur.

[3]) In libro sæpius laudato: Nordens især Danm. Krigsvæsen i Middelald., v. inprimis pag. 56—60.

[4]) In diss. Om Danm. indv. Forf. i de ældre Tider (l. c. pag. 356—369) et Bemærkn. om d. d. Herregaarde (Skand. Lit. Selsk. Skr. XXII. 136).

fert. Conjecturæ quidem via *Jahn* definitionem omnino veram nominis *hafne* invenit, sed neque veritatem conjecturæ idoneo argumento probare, neque ex inventa definitione hafnæ rationem legi convenienter explicare potest. Quod facile patebit, si quis explicationem ejus cum nostra jam exponenda comparare velit.

§. 28.

De diversitate nominum: *skipæn*, *hafne* et *styreshafne* primum conveniendum est. *Skipæn* (in Latinis monumentis *navigium*) integram ubique navarchiam significat. *Hafne*, cujus prima notio supra illustrata est, in jure expeditionali partem navarchiæ indicat; multæ enim hafnæ ad unam navarchiam pertinebant [1], sed numerus earum variabat [2].

---

1) L. Jut. III. 3. 4. L. Sjæll. Erici III. 18. Libr. cens. Vald. pag. 4. 55—58. Non ignoramus, verba: "*aff hware scipæn i haffnæ liger*," quæ in jure expedit. ap. K. Ancher (Lovb. II. 567) leguntur, plane oppositam, ut videtur, vim verbis addere (K. Ancher, Saml. Skr. III. 338. not. cfr. Iahn l. c. pag. 72 not.). At, etiamsi ad lectiones hujus legis, unius tantum apographi fide nixas, contra usum alias receptum provocare liceret, hoc loco certe provocatio rejicienda est, nam e sequentibus satis apparet, vocabulo *hafne* in hac lege eandem notionem, atque alibi, servatam esse. Lapsu igitur calami duo nomina modo transposita sunt.

2) Libr. cens. Vald. ll. cc. L. S. Erici l. c. Perperam igitur *A. Berntsen* (l. c. II. 25. 26), *Dolmer* (Hirdskraa pag. 334) aliique numerum ad 42 restrictum

Styreshafne [1]), cujus antiquissima forma sine dubio erat *styrishöfn* (Isl. *stýrir* et *höfn*), — si modo duo verba Islandica hic coagmentata in Latinum transfers sermonem — prædium gubernatoris significat. Ita notio hujus vocabuli in undecimo articulorum Thordonis Diaconi, quales lingua Germanor. inferior. conscripti nobis restant, disertis verbis definitur [2]). De ea inter jurisconsultis olim convenisse, testatur vetustus quidam glossographus [3]) ad legem Juticam. Eandem denique requirunt indices legum codicibus annexi, qui styrishafnam terram dicunt 24 marcarum argenti, et Leg. Jut. l. III. cap. 20, quod hocce prædium filiis, patri et fratribus gubernatoris heredium esse jubet. Cæteroquin quo jure hanc terram possideret gubernator, in sectione secunda hujus dissertationis illustrabimus. De magnitudine navigiorum in universum in sectione tertia commode sermo erit. Cum *hafnis* igitur solis nobis hoc loco res erit.

---

fuisse perhibent. Nec numerus quadragenarius, qui in Lege Sjæll. Erici III. 18 legitur, aliter, quam exempli gratia, affertur.

[1]) Cfr. K. Ancher, Dansk Lehnsret §. 34. 35 (Saml. Skr. III. 336—344).

[2]) Westphalen, Monumenta ined. Tom. IV. col. 1878, Falck, Die jütsche Lowbuch pag. 219. Etiamsi hæc verba ab ipso Thordone non profecta sint, antiquæ tamen manui originem debent.

[3]) In No. 4 inter mssta Rostgaardiana, quæ in bibl. Univ. Hafn. asservantur.

Quodlibet navigium plures habebat hafnas, et integrum onus a navigio militiæ causa ferendum in totidem semper minores partes dividendum erat, quandoquidem secundum hafnas inter rusticos distribuebatur. Quæ e locis supra citatis perspicua omnino putamus. Oneris vero pars singulis hafnis ferenda pro numero hafnarum diversissimo non variebat, hactenus semper eadem, quod *e quaque hafna unus miles, rebus necessariis instructus in expeditionem erat mittendus.* Ita jubent diserte tum epistola Erici regis incolis provinciæ Baraherreth rescripta, tum jus expeditionale sæpius laudatum [1]). Nullam aliam interpretationem verba Leg. Jut. I. 1. recte intellecta admittunt [2]). *Quot hafnæ igitur in navarchia, tot remiges in nave inde expedienda* [3]). Hæc est regula, quam ex

---

1) K. Ancher, Lovh. II. 541. 568.

2) Difficile sane est dictu, quomodo hæc omnium, qui hucusque de re nostra egerunt, oculos effugere potuerint.

3) Inter verba igitur Leg. Sjæll. Erici III. 18. illa: *"a laugh skiph, thær sum fyrtyug hafnæ æræ"*, *hafnæ* per metonymiam haud incommode pro *wæriendæ* (ut habet vetus glossa ad hunc locum) dictum videri potest. Sed contextus verborum sequentium hanc respuit interpretationem. Quare haud inviti crediderimus, hafnæ nomen h. l. sensu speciali de parte quadam navis bellicæ intelligendum esse. Navem tot loca habuisse discreta (Rum, Halvrum), quot remiges caperet, i. e. quot hafnæ numerarentur in navarchia, jam per se veri est simili-

antiquiore quadam lege in hanc recentiorem translatam supra existimavimus, quia hafnæ nomen nostris hafnis non proprie convenit. Hafna enim, qualis in lege Jutica mentio fit, vulgo *plura* prædia rustica continebat: militiæ onus ab integra hafna sustinendum *pluribus* rusticis [1]) solebat injungi. L. Jut. III. 12. 13, cui maximam, tertiam modo hujus oneris partem (thrithiungs hafnæ) imponunt. Hafna igitur, rusticorum ratione habita, *societas* erat *plurium agricolarum*, vernacula ideo lingua etiam *hafnelag* [2]) dicta. Membra hujus societatis *hafnebröthre*, i. e. fratres ejusdem hafnæ, salutabantur.

---

mum. Illa loca discreta ab hisce hafnis, quibus non numero tantum responderent, nomen traxisse, probabilis saltem videtur conjectura, quæ contextu verborum hujus capitis, ni fallimur, haud parum confirmatur. Cfr. L. Jut. III, 2. — Pro *laugh skiph*, ut hoc obiter tangamus, cum duobus codicibus *langh skiph*, longa navis (quo nomine naves bellicæ vulgo appellabantur), legendum nobis videtur. *Laugh*, quomodocunque explicetur, nullum certe idoneum sensum præbet. Cfr. annot. cl. K. Rosenvinge ad hanc legem pag. 380.

1) L. Jut. III. 1. 6.

2) *Lag*, societas. Recentiore quodam tempore tantum terræ, quantum unum militem sistere debebat, *Lægd* vocatum est. Nomen, mutata tamen significatione, adhuc superstes. Ducatus Slesvicensis, rei militaris respectu habito, etiamnunc in *Lagen* dividitur. Cfr. Falck, Privatrecht, I. 74.

Integrum militiæ onus hafnæ incumbens socii ita junctim sustinebant, ut *pro rata parte* et omnes *impensas* et *belli labores*, per vices subeundas, inter se dividerent [1]). Ne vero, quum prædia diversissimæ essent magnitudinis et bonitatis, nimis intricaretur divisio, *tres* modo *obligationis militandi gradus* inter rusticos olim recepti erant. Aut tertiam, aut sextam, aut duodecimam oneris partem singuli ferendam habebant. Quota pars singulis incumberet, e magnitudine prædiorum, publica terrarum æstimatione duce, dijudicandum erat. Itaque *prædia quoque rustica*, quatenus militia præstanda censebantur, *ad tres classes*, illis gradibus accommodatas, *referebantur*. Primam classem constituebant illa prædia, quibus marca auri vel amplius erat in terris. Hæc ipsa erant, quæ recentiore saltem tempore inter nostrates integra prædia, *Heelgaarde* [2]), appellabantur.

---

[1]) L. Jut. III. 1. 6.

[2]) Tale prædium colono elocatum in libro Arhus. *intergrum fæstæ* vocatur, Scriptt. R. Dan. VI, 430. 432. cfr. L. Jut. III. 7. coll. Westgöth. L. Kyrk, B. Fl. 20. Botin, Beskr. om Svenska Hemman, I. 29 sqq. Prædia rustica circiter octo marcarum argenti etiamnum seculo 17mo integrorum prædiorum minima fuisse, ex descriptione alioqui non nimis accurata Berntsenii nostri (l. c. II. 17 sqq) capias. Idem affirmant libri censuales, qui ex illis temporibus nobis restant, ubi pleraque, quantum scimus, prædia hanc magnitudinem (tres tonnas Hartkorn cum dimidia in censu) habent. Recen-

Ad secundam classem pertinebant, quæ terram quatuor marcarum argenti vel amplius, attamen non integram marcam auri habebant, quibusque a dimidia eorum præ antecedentibus magnitudine nomen, *Halvgaarde* [1]). Fundi denique minores, attamen duabus argenti marcis æstimati, eodemque igitur jure quadrantes, *Fjerdingsgaarde*, dicti ad tertiam classem referebantur. Terrulæ, quæ ne duarum quidem marcarum argenti pretium habebant, in hanc divisionem non admissæ sunt. Possessori igitur prædii cujusdam ad primam classem referendi *thrithings hafnæ* s. triens oneris totius hafnæ incumbebat, i. e. omnium impensarum expeditionis causa faciendarum tertia pars ei ferenda, in tertia quaque expeditione belli labores ipsi subeundi erant. Qui prædia habebant secundæ classis, sextam, tertiæ classis duodecimam partem earundem impensarum in se suscipiebant, sextæ cujusque expeditionis illi, duodecimæ cujusque hi præterea participes futuri [2]).

---

tiore autem ætate, deminuto villarum (Gaardenes) numero, terræ eorum auctæ sunt. Destructarum villarum loco casas (Huse) deinde ædificarunt, quarum multo majorem multitudinem recentior, quam antiquior, vidit ætas. Exempla affert Repholz, Beskr. over Baroniet Stampenborg, passim.

[1]) "*Dimidium fæstæ*", in libr. Arh. l. c. VI. 430.

[2]) Cfr. Stenzel, l. c. pag. 40 sq. 326 sq. Kurz l. c. pag. 110.

§. 29.

Proprietariis rusticis regulæ hucusque explicatæ, proprie præscriptæ erant. Atqui in militiæ oneribus prædiis imponendis jura reipublicæ sive possessores terras ipsi colerent, sive aliis colendas tradidissent, non mutanda fuisse videntur. Fundorum dominis onera re ipsa ferenda, etiamsi forte ipsorem humeris non proxime incumberent. Quæ erant igitur regulæ hac in re observandæ?

Rusticorum, qui aliorum colebant terras, tres olim numerabantur classes, quæ in monumentis historiæ nostræ Latinis *inquilinorum*, *villicorum* et *colonorum* nominibus discernuntur. De singulis pro instituto nostro pauca quædam afferemus.

Numerosissimus olim ut apud alios populos ita inter nostrates *servorum* erat ordo. Integrum fere rusticorum famulitium hac vitæ conditione utebatur. Servorum nonnulli quidem in domo herili ad operas domesticas faciendas manebant, alii vero casas in ipso fundo domus herilis (Huustoften) exstructas [1]) cum suis habitabant. Ad paucos quosdam agellos, hisce casis a domino adjectos, colendos servis, ut ex fructibus victum haberent, nonnihil temporis erat relictum, in operis domini quod supererat consumturis [2]). Peculiaris modo hæc erat servos alendi ratio. Militiam igitur ex

1) *Kotzæter* (Isl. kot, tugurium) innæn bondæns garthzlith, v. L. Sjæll. Vald. III. 12.

2) Cfr. Tacitus, de mor. Germ. c. 25. Estrup, om Trældom i Nord. pag. 43 sq.

hisce terrulis seorsum præstandam exigere, etiamsi servos, defensione terræ non cogente, ad arma vocare licuisset, nequaquam par erat. Ceteris potius agris herilibus, tanquam partes non sejunctæ, adnumeratæ ita demum censui erant censendo. Postquam religioni christianæ se patres addixerant, multi servi, monente et hortante clero, sensim sensimque in libertatem vindicati sunt, et, quum ipsi "liberti non multum supra servos" essent [1]), posteri tamen plenis liberorum hominum juribus fruebantur. Servis hominibus succedebant liberi, oeconomica eorum conditione parum mutata. Tuguria, quæ *servi* antea, nunc *inquilini*, eadem mercede domino fundi operam daturi, habitabant [2]). Erant igitur inquilini re ipsa *conductitii* (*leghœdrœnge*), ad familiam (*leghœhion*) domini pertinentes. Conductitii vero, quod ad expeditionem attinet, eodem fere loco, ac servi, habiti, neque ipsi expeditionem parare jussi, neque belli pericula pro aliis obituri, nisi bona venia data, admissi sunt [3]). Casæ, quas habitabant, ut quæ intra fines prædii herilis exstructæ essent, (cum terrulis eodem per-

1) Tacitus l. c. cfr. K. Ancher, S. Skr. II. 251 sq. Estrup l. c. pag. 117 sqq.

2) In nonnullis ducatus Slesvicensis regionibus tantum non omnes inquilini (Huusmænd) etiamnunc casas habitant in terris villarum exstructas. Aagaard, Beskr. over Törning Lehn pag. 95 sq. Cfr. Die Landwirthsch. in Angeln, Staatsb. Mag. III. 9.

3) L. Jut. III. 1. 2.

publicum quatuor et octo marcarum arg. ad pares feriis pertinuisse, e L. Jut. III. 12 et 13 supra collegimus, siquidem minime verisimile sit, prædia colonis locata aut graviora aut leviora, quam terras ab ipsis proprietariis cultas, tulisse expeditionis onera. Veritatem conclusionis firmavit convenientia cum iis, quæ aliunde cognovimus. Itaque diversitas formulæ loquendi inde explicanda est, quod scriptor legis in capite 13mo verba prædiis elocatis propius accommodavit.

Hactenus Leg. Jut. III. 12 et 13 re ipsa conveniunt. Jam vero duas classes tertiam secuturam [1]) exspectantes verba sequentia offendent: "æn rethær hafr minnæ en fiyr örthugh, tha rethæ örtugh silfr til kunungs garth." Qui igitur minora prædia, quam quæ dimidia vocabant, conduxerant, ad arma non vocandi, pro immunitate solidum arg. pendebant, licet proprietario, qui quadrantem colebat, tofftings hafnæ præstanda esset. Quæ tamen diversitas, si rem diligentius perpendas, cum ratione juris expeditionalis bene convenit. Quum omnes conductitios patres belli socios recusarent, inquilinos hoc nomine ab expeditione arcebant. Colonos vero admittebant. Attamen inquilini revera coloni erant, qui, quum terræ conductæ cultoribus, præter necessaria ipsis, pauca modo red-

---

1) Hanc etiam, analogiam secutus, de sua addit Hvitfeldius, quo testante, colonis duos saltem argenti solidos pendentibus *tolftingshafnæ* præstanda incumbebat, v. Ejusd. præf. ad hist. Christ. I. regis.

desent, censum fundi domino debitum labore suo (maxima saltem ex parte) compensabant. Coloni proprie sic dicti, qui ejusmodi parva prædia conduxerant, haud facile meliore erant conditione, si quidem excipias, quod hoc respectu nullius est momenti, inquilinum unico domino operam dedisse, colonum quod parvi agri cultura ei reliquum fecisset tempus nunc hujus, nunc illius usui, mercede diurna promissa, impendisse. Quæ quum ita essent, si mercenarios repudiare constituissent, conductores minorum prædiorum non admittendi erant. Confinium vero majorum et minorum prædiorum satis apte in æstimatione quatuor marcar. arg. positum censebis. Coloni enim, qui ne quinque quidem tonnas (ex nostra mensura) bonæ terræ colebant, haud injuria eodem loco habiti videntur, atque inquilini, quibus certe prædia non multo minora sæpe tradita erant. Utrique ideo ab expeditione arcebantur. Inquilinorum autem agri, herilibus adnumerati, censui omnino erant censendo; colonorum igitur non prorsus immunes esse debebant. Hinc ille solidus argenti, a colonis minorum prædiorum (quoties expeditio facienda erat) solvendus. Ne minima quidem prædia hoc onere, jam ante conductionem cognito, liberanda ducebant.

Proprietariorum vero minorum non eadem erat ratio. Qui quadrantem (en Fjerdingsgaard) pleno mancipii jure possidebat, quum nullum censum annuum alii solvendum haberet, in mercenarios minime referendus, militia, dummodo viribus ejus esset accommodata, non vacare debebat. Proprie-

tariorum, quibus ne quadrans quidem erat, nonnulli forsitan solidum suum conferre poterant; ne vero pauperes hoc onere nimis gravati, parva peculia relinquere cogerentur, satius erat omnino, huic tributo renuntiare. "Nolumus, ymmo prohibemus", incolis provinciæ Barahereth rescribit Ericus rex [1], "ne quis pauper habens nisi unam vaccam ad solvendum jura expedicionis pro ipsa cogi debeat aut compelli." Itaque proprietarii, quorum terræ pretium duarum marc. arg. non habebant, prorsus immunes erant [2].

§. 30.

Ex iis, quæ de rusticorum officio militandi jam attulimus, facile apparebit, quomodo rustici in diversos militantium ordines pro censu dispositi in minores illas societates, quibus *hafnelag* nomen, iterum compositi fuerint. Tres enim rustici primæ classis (tria prædia primæ classis colentes) conjuncti ex lege oneri unius militis, quoties indictum foret, expediendi ferendo erant, quippe quum singulis omnium impensarum triens faciendus, et tertia quaque vice, alii post alium, militia toleranda esset. Ad singulas igitur hafnas tres vulgo rustici

---

[1]) K. Ancher, Lovh. II. 541. Cæterum observabis, instituta militaria seculi XIII exeuntis instituta ætatis Vald. immutata non referre.

[2]) Hvitfeldio et qui cum eo affirmant, hos proprietarios immunitatem solido argenti emisse, leges minime adstipulantur.

plenam præstationi militiami [1]) pertinebant [2]). In qua hafna aut non omnes aut nulli [3]) socii erant hujus classis, pro eorum quoque duo rustici secundæ vel quatuor tertiæ classis substituti onus ei ferendum inter se dividebant. Socii igitur hafnæ nec pauciores, quam tres (nisi forte duplex vel triplex expeditionis onus alicui incumberet, de quo infra), nec plures, quam duodecim, esse solebant.

Terræ singularum hafnarum magnitudine intra terminos haud angustiores variabant. Prædia conjuncta minus quidem pretium, quam trium marca-

---

1) "Ther uppæ haldæ for them *fult landwærnæ*" L. Jut. II. 51.

2) Quæ quum ita sint, jam facile intelliges, quid sibi velint hæc verba libri censualis Valdemari II. p. 9 (Scriptt. R. Dan. VII. 520): "*Harzhæret* cum IIIIor navibus tenetur nos transducere, quia in qualibet hafna habet IIIIor homines." Quatuor nimirum navibus, quas quatuor navarchiæ hujus provinciæ ad expeditionem instruere tenebantur, rex, quoties e Jutia in Fioniam vel Sjællandiam trajiceret, utebatur. Ne vero hocce onus rusticos nimis gravaret, in iisdem navarchiis non tria, sed quatuor prædia primæ classis, quo leviora fierent singulis onera expeditionis, hafnam faciebant.

3) Verba L. Jut. III. 1, "Styræs man mä ængi man nöthæ til at faræ i lething, e mæthen enen (annæn) man ær i hafnæ lagh meth hanum, ther æi hauær faræt sithæn han for", innuere videntur, prædia modo unius classis composita fuisse; sed vix ita premenda sunt.

rum auri, nunquam habebant; sed nulla lege generali constitutum erat, in quantum crescere posset. Nimium tamen incrementum quomodo aliquatenus cohibitum sit, infra illustrabimus. In universum poni licet, singulas hafnas haud facile majores habuisse terras, quam trium mansorum Sjællandicorum sive tredecim marcarum auri cum dimidia.

Æstimatio publica singulorum navigiorum tanto magis variare poterat, quanto incertior præterea erat numerus hafnarum. Navigii, quod 40 hafnas habebat [1]), minimum pretium erant 120 marcæ auri, maximum (quatenus hoc definiri potest) 540 marcæ auri, vero, putamus, ab utraque extremitate haud parum plerumque remoto.

Hafnæ e pluribus prædiis compositæ sæpissime, ni fallimur, haud *continuæ* erant navigiorum partes. Prædiis enim componendis id inprimis spectabant, ut tres trientes inde præstarentur. Quod si ex vicinis prædiis haud commode fieri posset, nihil obstabat, quo minus disjecta componerentur. Neque hafnæ vinculo firmius colligabantur, quam ut, distributionis ratione postulante, aliquamdiu conjuncta iterum separari et cum aliis componi possent. Quæ quum ita sint, haud mirum videbitur, hafnæ nomen, cuivis prædio rustico ab initio proprium, hujusmodi terrarum collectioni accommodatum principalem notionem amisisse.

---

[1]) "Thær sum fyrtyughæ hafnæ æræ", L. Sjæll. Erici, III. 18.

§. 31.

Majores igitur, uti vides, expeditionis onera inter cives pro reditibus distributuri, easdem fere, ac permulti antiquitatis populi, rationes secuti, eodem, atque illi [1]), pervenerunt, ut incolas ad diversas — prouti militiæ extra terræ fines præstandæ majores vel minores vel nullas haberent partes — classes referrent. Plebejorum quatuor classes factas vidimus, quibus homines dominorum (hærmen) tanquam singularis ordo præponendi sunt, ut quinarium numerum omnes classes compleant. Homines dominorum, qui equo merebant, locupletissimi quidem plerumque erant cives, sed, veluti equites initio Romanorum [2]), nunquam censebantur. Plebejorum tres primæ classes pedites gregarios pro censu sistebant, quarta vero (θῆτες Atheniensium) militia ita vacabat, ut aliis hæc vacatio tributo quodam emenda esset, aliis gratis constaret. Distinctionem diversarum classium militiæ oneribus, qualia olim rusticis ferenda essent, distribuendis satis commodam fuisse, haud dubie concedes, qui tamen hanc distribuendi rationem in universum, eamque præsertim, quam supra adumbravimus, non nimis æquam dices. Neque immerito. Fines enim paucarum classium tam late di-

---

[1]) Nobilissima exempla sunt τιμήματα Solonica Atheniensium (vide Böckh, die Staatshaushalt. d. Athener II. 28 sqq.) et classes Servianæ Romanorum (Niebuhr, Röm. Gesch. 3 Ausg. I. 477 sqq.).

[2]) Niebuhr l. c. pag. 482 sqq.

stabant, ut expeditionis onera, quum omnibus rusticis ejusdem classis, sive maximum, sive minimum censum haberent, eadem essent, alios multo minus gravarent, quam alios [1]). Iniquitati a divisione per classes nunquam prorsus removendæ aliquatenus occursum fuisset, si plures plebejorum militantium fecissent ordines. Neque nunc nobis omnino constat, cur in tribus illis substiterint. Verisimile tamen, tripartitam divisionem illis datam fuisse, si quidem jam antea soliti essent, prædia integra a dimidiis et quadrantibus distinguere. Deinde si poni liceat, quo tempore mutata sit distribuendi ratio, numerum prædiorum integrorum (dimidiis et quadrantibus pro magnitudine simul computatis) triplo majorem fuisse quam mansorum, etiam numerus prædiorum conjungendorum datus fuit. Militum numerus non minueretur, si ternis prædiis integris injungeretur singulorum militum expeditio. Injuncta est, et quidem conditione eadem, atque antea singulis mansis. Ternis denique prædiis in hunc finem conjunctis hafnæ nomine addito, novum in distribuendo systema, quam minimis mutatis, adoptaverant. Pro explorato sine dubio habebant, expeditionis onera integrorum prædiorum minimis incumbentia haud graviora esse, quam quæ ferri possent. Majoribus prædiis eadem leviora esse,

---

[1]) Ampla inprimis occasio possessiones impune augendi rusticis primæ classis data videtur, quibus L. Jut. III. 12, sive marcam auri, sive quam maximas haberent terras, trientem modo hafnæ imperat.

quomodo latere potuit? At nonne jure suo e re esse duxerunt, strenuitatem rusticorum quam minime cohiberi? Ex novo systemate possessores minorum prædiorum maxime oneratorum agros suos sine metu oneris simul aucti amplificare poterant. Quod vero quum etiam locupletes, et quidem prosperiori cum successu, facere possent, cavendum erat, ne hac civium strenuitate nimium detrimenti caperet res militaris. Multos quidem agros in unum colligere ætate ante-valdemariana insolitum quid erat: magna illæ prædia *(Herregaarde)*, quæ seculum quartum, quintum, sextum et septimum decimum semper frequentiora videbant, antiquitati pæne incognita erant. Terræ, quas amplas habebant proceres illorum temporum, huc illuc, per plures sæpe provincias, sparsæ jacebant, ad multa minora pertinentes prædia, quæ aut colonis locaverant, aut villicis colenda tradiderant, aut denique inquilinis pro opera assignaverant. Sed quæ antea insolita fuerant, deinceps, spe lucri oblata, frequenti usu vix caruissent, quin haud defuissent sane, qui simulata minorum suorum prædiorum conjunctione commoda majorum appeterent, nisi *jus unico tributo officio satisfaciendi (at wæræ vndær en ræslæ)* talibus conditionibus adstrictum fuisset, quæ tum usum ejus justis limitibus circumscribere, tum abusum præcavere possent. Quas conditiones jam propius intuebimur.

Lex primaria hæc erat: *terræ demum unius possessoris junctim cultæ unici tributi satis habeant.* Duæ igitur inprimis ferebantur hujus juris

conditiones. *Primum terræ ad unum possessorem pertinere debebant.* Itaque plures possessores terras suas ad hunc finem collatas frustra junctim colebant. Quod tribus viis patrari potuit, aut si plures proprietarii terras suas antea discretas ita junctim colerent, ut fructus uno horreo recondarent [1]), aut si proprietarius præter agros peculiares alios conductos cum suis junctim coleret [2]), aut denique si plures proprietarii terras suas colono cuidam ad unam villam junctim arandas traderent [3]).

---

[1]) L. Jut. III. 19.

[2]) L. Jut. III. 15. Hoc loco nobili *(hærman)*, cui minores terræ sunt, quam quæ uno aratro coli possint, privilegium datur terris conductis ita eas augendi, ut uni aratro sufficiant, nullam expeditionem e terris conductis facturo *(oc göræ thö æi lething af then iorth, han fæstæ).* Quod autem peculiari privilegio nobilibus conceditur, rusticis certe in universum non integrum erat.

[3]) Lex Jut., hoc nomine admodum manca apparet. Neque regulæ de unitate possessoris in universum, neque trium ejusdem variationum disertis verbis mentio fit. Duæ tamen priores variationes ob præcepta, quæ l. III. cc. 19 et 15 continentur, auctoritatem habent minime dubiam, eæque profecto hanc tertiam plane analogam, cui fidem adstruere non item contigit, requirunt. Nam quum nulla idonea causa afferri possit, cur plura prædia unius tributi jure conjungere ei potius liceret, qui nullum eorum, quam ei, qui aliquod ipse possidebat, tum cyclo cautionum necessariarum hæc utique deesse nequit.

Quot tributa inde eroganda essent, e numero possessorum, quorum terræ ita collatæ erant, pendebat. Excepti erant fratres sororesque, qui, quamdiu in communione manentes terras hereditarias ad unam villam colebant, uno tributo satisfaciebant. Soluta autem communione, pro se quisque expeditionem faciebat, nec iterum terræ separatæ eodem jure conjungendæ, nisi alter alteri se venundaret [1]. — *Deinde terræ,* quum unius essent possessoris, ut unici prædii jure fruerentur, *junctim erant colendæ.* Si quis igitur terras suas ad plures villas separatas coleret, vel fructus pluribus horreis reconderet, quot diversas villas rusticas, tot tributa solvenda habebat [2]. Jus vero unici tributi, cui revera competebat, non minuebatur, etiamsi terræ in diversis navarchiis sitæ essent. In qua navarchia domicilium ejus, ibidem, nec alibi, expeditio facienda. Si sedes rustici et horreum sejuncta diversis in navarchiis exstructa essent, expeditio facienda horreum sequebatur [3]. Quum hac lege cautum esset, ne illo jure rustici in detrimentum expeditionis abuterentur, tum usus ejusdem vinculis inditis aliquatenus saltem impeditus erat.

Attamen parum profuissent expeditioni hæc vincula tam fragilia, nisi aliud quoddam ea corro-

---

[1]) "Vten of then annen *fletförer* sik til then annen." L. Jut. III. 19.

[2]) Leg. Jut. III. 7. 16.

[3]) Ibid. III. 17.

borasset. *Plenum* nimirum *jus uno tributo satisfaciendi ad terras demum hereditarias, non itidem ad agros coëmtos pertinebat* [1]). Terras hereditarias quantas quis maximas colere, emtas vero quantas uno dumtaxat aratro subigere posset, in unum prædium hoc jure colligere licebat. Antiquarum legum nostrarum hæc erat ratio, ut terræ genti, quantum fieri posset, conservarentur. Indulgentia igitur in terras hereditarias huic legum rationi bene convenit. Neque magni facile detrimenti hic periculum erat. Heredi ipsi terras disjectas cum aliis vicinis, salvo jure, permutare non licebat. Terras vero jam collectas, si cui forte hereditate obvenerant, posteri facile heredes, ætate inprimis Valdemarianam proxime præeunte, cui testamenta et jura primogenituræ æque incognita erant, iterum dissipabant. Detrimentum præterea alibi hac re acceptum augmento expeditionis divisionibus inter plures heredes alibi debito plerumque, ni fallimur, resarciebatur. Sed, quum hac ratione leges commoda expeditionis fortunæ permitterent, a detrimento, quod minabantur coëmtiones, eadem diligentius tuebantur. Attamen immodicæ solum coëmtiones frenis inhibendæ. Rustici, quibus

[1]) Quod diligentiori capitum 16, 17 et 19 cum capite 18 libri III. ejusd. legis comparatione patebit. Ubi in illis capitibus de terris, quæ agricolis sunt vel hereditate obvenerunt, sermo est, unicum modo exigitur tributum, "huræ goth iorth sum the hauæ oc æriæ al til en garth." Ubi in hoc capite terræ emtæ mentio fit, alia lex constituitur.

nullæ vel minores erant terræ hereditariæ, gravitate tantas comparaturi, quantæ ad familiam rusticam alendam sufficerent, insolito expeditionis onere non gravandi erant. Quibus ideo permittit lex, salvo jure unius tributi, tot agros coëmere, quot uno aratro commode subigere poterant [1]).

[1]) *"En full plogks ariæ."* L. Jut. III. 18. Quæ fuerit legitima horum agrorum æstimatio, rusticis olim sine dubio cognita, nobis non liquet. Nam in pretiis 36 et 24 marcarum arg. dubii hæremus. Alterum certe verum fuisse videtur. Mansum Sjællandicum, terram 36 marcar. argenti, haud majus fuisse prædium, quam ut uno aratro subigi posset, e disquisitione nostra de magnitudine ejusdem patebit (cfr. Scr. Rer. Dan. VII. 19. 54). Quin immo hunc mansum incolis Sjællandiæ provinciarumque vicinarum, ubi 8 oris censeretur, re vera terram fuisse unius aratri, nobis minime dubium videtur. Quod tamen non impedit, censum legitimum aratri aliquanto minorem putare. Edictum Erici Glipping a. 1284 Sjællandis scriptum, e terra 8 orarum hafnam (en full hafne, tributum pecuniarium ætate post-valdemariana pro antiquiore trithingshafnæ substitutum), e terra 12 orarum sesquihafnam præstari jubens, satis perspicue innuit, mansum hujus provinciæ etiam in jure expeditionali pro terra unius aratri habendam esse. Sed hæc interpretatio, lege innixa, quæ a. 1284 rusticis remissionem tribute decernere videtur, ab ætate Valdemariana facile aliena est. Itaque argumenta allata non obstant, quo minus assentiri possimus sententiæ *Grammii* nostri, affirmantis (Kbh. Selsk. Skr. II. 268), terram 24 marc. arg. solidum fuisse prædium

Agris vero, qui emtione illis addebantur, eadem expeditionis onera, quæ antea, etiam porro incumbebant [1]).

§. 32.

Non omnibus promiscue terris expeditionis onera olim imposita erant. Quod immunitate prædiolorum, quorum cultores ad tres plebejorum militantium classes non pertinebant, jam probatum

unius aratri. Non addit quidem, unde hæc habeat. Fidem vero, qua egregius illa criticus in plerisque se dignissimum præstitit, hic ei lubenter habuerimus. Nam, sententia ejus rejecta, difficile sane erit dictu, cur 24 illæ marcæ arg., æstimatio prædii, quod *styrishafne* dicebatur, in indicibus nostris nunquam non afferantur. Neque verisimile videbitur, regem gubernatoris labores satis molestos minore prædio, quam quod terras unius aratri haberet, recompensasse. Certiora autem argumenta frustra quæsivimus. Quæ si aliquando invenire contigerit, fortasse docebunt, utramque olim æstimationem, sed diversis temporibus vel diversis locis, minorem antiquiore, majorem recentiore tempore, vel in provinciis occidentalibus illam, in orientalibus hanc lege sancitam fuisse.

1) Coëmtori igitur, cui jam erat en full ploghs æriæ, agri antea minime onerati optatissimi erant, e terris duarum marc. auri, si antea duo integra prædia effecissent, duos trientes (trithingshafnæ), ex iisdem, si antea junctim cultæ fuissent, unum modo præstaturo. Sed, quot aratra coëmtor, tot trientes sine dubio præstandos habebat, quem levissimum gravabat expeditionis onus.

fortasse dixeris. Sed hæc immunitas ad cultores potius, quam ad terras spectabat. Ex iisdem terris, quæ in ejusmodi parvas portiones divisæ immunes erant, si junctim colerentur, expeditio facienda erat. Striotiore sensu illa verba intelligimus. Onera expeditionis causa ferenda inter cives pro reditibus distributuri majores, quum terrarum pretium, quod aptissimum redituum modulum putabant, ex proventu annuo æstimarent; non poterant non ad hanc pervenire legem, *terras, quæ nihil redderent, nulla expeditione onerandas esse.* Terræ enim *nondum excultæ* re ipsa in censum non veniebant. Nullam autem habitam esse rationem, utrum lætis *silvis* tectæ, an *erice* obsitæ jacerent, est sane, quod nostri temporis hominibus mirum videatur. Attamen antiquitatis oculo considerata res non offendet. Tanta enim silvarum olim abundantia, ut molesta potius, quam utilis haberetur. Quæ silvæ reddunt, pabulum cum glande ligna et tigna, nostro tempore magni æstimata, olim res nullius erant, quemvis sequentes, qui iis uti volebant. Quamobrem quum respublica omnia loca inculta (almenníngar) vindicasset, libero tamen usu omnium fructuum, quamdiu inculta jacerent, rusticis non interdictum est [1]). Etiamnum in lege

[1]) L. Scan. XI. 12. Knytl. S. cap. 28 cfr. supra p. 64. Jam duodecimo seculo communis silvarum publicarum usus historicos quosdam ita movebat, ut originem ejus, singulari scilicet beneficio regio debiti, ex edicto quodam recentiore repetendam putarent. Ita Sveno Aggonis (Hist. reg. Dan. c. 4. Scriptt.

Jutica hæc ratio servatur, in silvis publicis terram ad regem, silvam ad rusticos pertinere [1]. Quare quum e silvis suis proprietarii nullos fructus peculiares perciperent, neque hæc prædia censui sensendo esse debebant. Nullum tributum olim expeditionis causa silvis revera impositum fuisse, inde patet, quod eadem medio ævo, velut alia inculta, neque in mansos divisæ, neque censu vel pretio, quo duce vectigal imponebatur, æstimatæ sunt [2]. Novissimis quidem medii ævi seculis fructus e silvis redeuntes non amplius nostri aspernabantur. Nescimus, quamdiu usus horum fructuum in silvis publicis prorsus liber rusticis permissus fuerit; privatis vero silvis fruendi potestas tertio decimo exeunte et sequentibus seculis nusquam facile, nisi vectigali promisso, colonis data est. Seculo sexto et septimo decimo silvæ velut arva et prata cense-

R. Dan. I. 54) hanc communionem sub Svenône Tveskjæg coepisse affirmat, quo modo ille traditionem de silvis et nemoribus ab hoc rege privatis hominibus venditis interpretari vel potius detorquere videtur (cfr. supra pag. 33 in nota). Alius scriptor ejusdem seculi hocce beneficium Haraldo Svenonis filio (Hein) acceptum refert (Scriptt. R. Dan. I. 378).

1) "Af thet er alminning, there a kunung iorth oc bönder scogh." L. Jut. I. 53.

2) Scriptt. R. Dan. VII. 556. Pauci quidam loci, velut ibidem IV. 356. 510. VII. 8. 9. 13. 44. 49. 526. al., qui universitati regulæ primo adspectu repugnare videntur, omnes admittunt vel etiam requirunt aliam interpretationem.

bantur. Terra silvestris, quæ glande sua quotannis 24 porcos saginare poterat, arvo, quod sementem annuam trium tonnarum secalis capiebat, vel prato, quod 24 vehes foeni quotannis reddebat, æquiparata in censu eodem nomine, tonna Hartkorn, appellabatur. Census autem silvarum ad privatos tantummodo usus habitus videtur: ad publica certe vectigalia non attinebat. Medio seculo septimo decimo silva peculiaris etiamnum possessio erat prorsus immunis, ab omni servitute publica libera [1]. Hæc pristina silvarum immunitas procul dubio principalis fuit *causa, cur monarchæ ævi sequentis, quum silvis quoque vectigalia imponi jusserint, onera tamen his ipsis leviora, quam arvis et pratis, esse voluerint* [2]. Etiamnunc hæc diversitas obtinet.

---

1) A. Berntsen, l. c. II. 70. III. 392. 408 sq. 415 sq.

2) Plerorumque vectigalium, quæ e quavis tonna Hartkorn in arvis et pratis pendenda erant, modo dimidia pars cuivis tonnæ in silvis imposita est. *Morville* noster causam ignorat hujus diversitatis, unde tamen colligit, tonnam Hartkorn in silvis minoris esse pretii, quam in arvis et pratis (Forsög til at bestemme Forholdet mell. Skovskylds Hartkorn og H. af Ager og Eng. Vid. Selsk. Skr. n. S. VI. 141—143). Sed hæc ratiocinatio æque vana est, atque argumentum, quo (l. c. pag. 152—154) diversitatem pretiorum ab ipso positam probare studet. Verba Berntsenii testantis (l. c. II. 69 sqq. III. 292. 394. 416), æquales suos omnes tonnas Hartkorn, sive ex arvis et pratis, sive e silvis redirent, emtione et venditione sicuti permutatione prædiorum

Per integrum igitur medium ævum terræ qualescunque nondum excultæ omni expeditione vacabant. Ex quo vero subactæ fuerant, tributariis quoque terris adscribendæ erant, adscriptionis tamen lege diversis ætatibus, ut videtur, diversa. Antiquissima ætate, quum majores tributa exacturi numeri tantum, non magnitudinis mansorum rationem inirent, etsi eodem tempore rusticis integrum esset, mansos quam maxime vellent amplificare, obligatio ex agris novalibus expeditionem faciendi in eo, ni fallimur, vertebatur, utrum mansos novos facerent, an veteres modo augerent. Si auctus esset mansorum numerus, tum demum aucta est expeditio. Itaque novalia veteribus mansis addita re ipsa in censum non veniebant. Neque tamen hæc iniqua conditio obstabat, quo minus novi mansi excolerentur. Erat enim hoc ævo Danicæ consuetudinis mansum patrium filiorum uni servare, cæteris fratribus necessitate alia domicilia quærendi relicta [1]). Quæ consuetudo, quum prohiberet, ne

---

inter privatos eodem loco habuisse, comprobant, causam illius diversitatis in pretii diversitate non quærendam esse.

[1]) Wilh. Gemetic. ap. Du Chesne, Scr. Norm. pag. 218. 221, Joannes Wallingford ap. Gale, Scriptt. I. 533. 535, Mathæus Westmonast. pag. 179 et Petrus Olai, Scriptt. R. Dan. II. 10. Cfr. Odo Abbas, ibid. pag. 49 sq. et Dudo ap. Du Chesne l. c. pag. 62. 63. 64. 69. 70. Non quidem ignoramus, fidem horum scriptorum in dubium vocatam esse (v. K. Rosenvinge, in N. Jur. Archiv XVII. 115—117),

---

sed justa dubitationis causa nobis non adesse videtur. Etiamsi constaret, omnes scriptores antiquos, qui hanc consuetudinem memoriæ prodiderint, *peregrinos* fuisse (incertum est, dum non constat, unde *Petrus Olai* noster sua hauserit), fide tamen non ideo indigni sunt, rei cujusdam nuncii, quæ, quum letiferarum prædationum causa videretur, chronographis Francorum et Anglosaxonum tanti erat momenti, ut non possent, quin de ea diligenter sciscitarentur. Neque in terris, ubi Dani, patria relicta, frequentes habitabant, facile deerant, qui quærentes certiores facerent. Præterea res ipsa (dummodo concedatur, narrationem peregrinorum non nimis accuratam esse) veri simillima videtur. Mansum supra docuimus tantum fuisse prædium, quod uno aratro commode subactum familiam rusticam alere posset. Idem vero, patrem cum familia parce alens, quomodo, quæ erat antiquo illo tempore agriculturæ ratio, tribus vel quatuor filiis eorumque familiis sufficeret? Inter tot heredes eum dividere tanto ineptius videretur necesse erat, quanto magis abundarent terræ fertiles incultæ, quas fratres a successione exclusi subigere possent. Mansus igitur patrius in possessionem unius filii transibat. Hunc filium semper primogenitum fuisse, admodum dubium nobis videtur, etsi *Mathæus Westmonasteriensis* hoc affirmat. Sæpius fortasse minimus natu heres mansi factus (inter plures populos Germanicos, ut in Bornholmia insula nostra, jus minoratus lege sancitum est, v. Mandix, Landvæsensret I. 588 sqq. Till. p. 167 sq. Paulsen, de ant. populor. juris hereditarii nexu cum statu eorum civili, pag. 107 sq.). Plerumque, ut putamus, pater cum filiorum consensu successorem denominavit. Plurium autem

præter modum amplificarentur [1]), ad mansorum numerum augendum quam aptissima erat. Neque invitos fratres ab hereditate exclusos mansos novales occupasse putamus, dum fertiles ubique terræ abundarent, viribus integris operam impensam uberiore facile fructu remuneraturæ, quam eæ, quas vitiosa cultura jam enervaverat [2]). Militia tole-

mansorum possessori haud dubie totidem, si adessent, filii in suo quisque manso succedebant. Ita enim successio unius filii a nobis defensa certe intelligenda est, ut pater modo unum mansum haberet (cfr. Paulsen l. c. pag. 80 sq.). Quæ quum ita sint, antiquissima successionis hereditariæ lex haud multum fortasse diversa erat a consuetudine nostri ævi, qua prædia rustica, nisi præter necessitatem ampla videantur, a patre ad filiorum unum transire solent. Ponendum vero, individuitatem mansorum, primorum seculorum usu commendatam, deinde justæ valuisse legis auctoritate. Quæ forsitan severæ inprimis debebatur tutelæ totius familiæ turbulenta illa tempestate a patre gerendæ. Unde necessitas, patres familiarum locupletes esse viros, qui pro suis spondere possent. Quæquæ vero causa fuerit, lex a nostris servata est, postquam eadem fortissimis suis juvenibus jam diu patriam quotannis privaverat, qui, plerisque optimisque terræ tractibus jam occupatis, navibus fortunam in exteris regionibus periclitari cogebantur (unde nexus historiæ prædationum maritimarum cum historia patriæ frequentatæ patebit).

1) Cfr. supra pag. 63.

2) Quæ nostris diebus in America vulgo fiunt huic opinioni fidem afferunt.

randa, patres bellicosissimos hujus ævi vix deterrebat. Niholominus huic inprimis consuetudini debentur frequentes illæ emigrationes, quæ regnis vicinis tot tantaque pericula crearunt. — Christiana autem ætate, quæ unionem minorum regnorum sub Gormone grandævo sequebatur, rerum facies et hoc nomine mutata apparet. Ut emigrationes et prædationes cum iis conjunctas cohibeant, nostrates, hortante clero christiano æquitatem hereditatis enixe commendante [1]), sciverunt, ut terræ parentum inter filios filiasque dividerentur. Quum experientia simul docuerit, fructus terræ diligenti cultura multum augeri posse, rustici prædiorum deminutionem, divisionis comitem, haud vehementer metuere videntur, et mansi plerique in multas minores partes secti jacent. Jam vero si eadem lege, atque antea, rusticis licuisset terris incultis circumjacentibus campos vicanos pro lubitu amplificare, hac licentia nihil optatius fuisset. Sed omnia inculta reipublicæ jam vindicata [2]) de rege emenda erant. Emtionem quidem nullas difficultates attulisse putamus, siquidem reges rei pecuniariæ inopia ultro ducti prædia, quæ, quamdiu inculta jacerent, ipsis nullius usus

---

[1]) J. Wallingford l. c. cfr. K. Ancher, Saml. Skr. I. 22.

[2]) Reliquiæ nondum alienatæ harum terrarum in libr. cens. Vald. vocantur *konunglef.* Prædia publica erant proprie sic dicta a cæteris prædiis regiis, quæ pro *patrimonio* stirpis regiæ habebantur, illo nomine discreta.

essent, haud inviti certe alienaverint [1]). Campis vero vicanis hæ terræ, etiamsi communi incolarum sumtu comparatæ essent, non additæ sunt. In monumentis nostris historicis agri camporum et re et nomine a terris postea emtis discernuntur. Illi *repdraghen iorth* vel sæpius et rectius *rebedræt* (ɔ: terra metienda), hæ nunc generali nomine *kennæland* (ɔ: terra circumsepta), nunc specialibus *ornum*, *ruth* et *scogh* vocantur [2]). Terra mansorum non ideo *rebedræt* vocatur, quod funiculi ope singulis *dimensa* fuerat (etiam cæteras terras rustici ita plerumque dimensas [3]) habebant), sed quod eadem ratione, quoties de justo ambitu mansorum lis orta esset, iterum iterumque *metienda* erat [4]). Cæterarum contra terrarum mensura semel acta, funi non denuo subjiciendæ erant, ut invenirentur limites [5]), qui, ut semper cogniti haberentur, fossa

---

[1]) Ut Svenoni Tveskjæg (auctore Saxone pag. 290) ita multis aliis regibus hæc prædia auxilio fuisse videntur, cfr. Libr. cens. Vald. pag. 48.

[2]) L. Jut. III. 13. Scriptt. R. Dan. IV. 468. 497 sq. 507. 513. VII. 7. 27. 30. 31. 42. 43. 50. 62. etc.

[3]) L. Scan. IV. 6.

[4]) Auctor libri don. mon. Sorens., Scriptt. R. Dan. IV. 507, interpretationem suam vocis *rebedræte*, "*terras mensuratas*", ipse corrigens, recte addit: "*seu mensurabiles.*"

[5]) L. Sjæll. Vald. III. 2. 4. L. Scan. IV. 7. 9. Andr. Sunonis L. pr. Sc. IV. 8. L. Jut. I. 45. 46. 52. 55. Thord. Diac. art. art. 5. cfr. Danske L. 5—10—19. Mandix, Landvæsensret, II. 310.

vel sepe vel alia ratione signandi erant. Unde hæ terræ nomen *kennæland* (s. terra limite signato ab aliis separata) invenisse videntur [1]). Quod tamen in antiquis historiæ nostræ monumentis modo semel, L. Jut. III. 13, scriptum legimus. Alias eadem terra, nisi forte arboribus etiamnum ita referta esset, ut silvæ *(scogh)* nomen speciale acciperet, plerumque *ornum* s. *ornummæ* vocatur. Radices hujus nominis sunt *ore*, regio lapidosa et arida, silvis sæpe operta, et *nam*, captura, vel Isl. *numinn*, captus. *Ornum* (quod recentiores interdum distorquent in *ofvernum*) erat igitur terra circumsepta a tali regione, cujus antea pars fuerat, sejuncta. Huic vocabulo synonymum erat *oredreff* [2]), quod depravata recentiorum forma, *ofverdref*, *overdrev*, haud facile agnoscitur. Si *ornum* terra esset silvestris runcata speciali nomine interdum *ruth* (ex Isl. *rót*, eradicatio) vocata est [3]).

---

1) Ita Osterson, Gloss. s. v., et K. Ancher, Jydske L. Ordforkl. pag. 329, vocem interpretantur.

2) Scriptt. R. Dan. IV. 358. VI. 197.

3) Noluimus hisce nominibus aliud quoddam addere, *stuf* (etiam *særköp* et *enkiköp* dictum), vocabulo *rebedræt* et illud sæpius oppositum, cujus plane alia est ratio. *Stuf* enim terra erat ad campum vicanum revera pertinens a manso, cujus pars erat, ea lege alienata, ut magnitudo ejus divisione mansi non invenienda certa longitudine et latitudine definiretur. Manso igitur iterata campi dimensione vel aucto vel deminuto, *stuf* eandem extentionem immutatam semper retinebat. Itaque quum deesset

Ætate Valdemariana permultos, quin facile plerosque vicos terras quum metiendas tum circumseptas habuisse e libris nostris censualibus ut e multis literis emtiones testantibus apparet.

Causa, cur reges terras antea publicas nunc privatas campis vicanis additas noluerint, in promtu est. Quo tempore enim omnia inculta publica sunt declarata diuque postea tributa expeditionis causa petenda mansos numero sequebantur. Ad patresfamilias ab initio et quamdiu congruebant familiarum et mansorum numeri expeditio proxime pertinebat. Sed post novam legem de hereditate latam, quum plures sæpe familiæ, mansi divisi compossessores, unum modo tributum conferrent, expeditio navalis non poterat non servitus videri mansis proxime incumbens. Jam magis magisque patebat, magnitudinem mansorum nequaquam negligendam esse, æquitatemque onerum æqualitate mansorum niti. Quare quum jus mansos pro lubitu augendi, officio militandi non mutato, iniquum videretur, terræ publicæ pecunia comparatæ, ex quo subactæ forent, æquabili servitute onerandæ erant. Expeditionem tamen navalem reges auctam nolebant, quippe quæ, minoribus regnis unitis, jam tanta esset, quanta ad principatum septentrionis defendendum opus videretur. Ad imperium vero regium tuendum in provinciis ipsis Danicis, quæ regi ab-

conditio, quæ terræ *rebedræt* nomen dederat, *stuf* sæpius huic nomini opponitur. Cfr. K. Ancher, J. L. Ordforkl. p. 349—351.

senti invitæ obediebant, tum ad bella longinqua illa et diuturna, quæ ætatem trium primorum regum christianorum celebrarunt, gerenda multis militibus domesticis opus erat. Qui pleniore et meliore armatura, majore exercitatione, inprimis vero assiduitate sua ita se commendabant, ut reges eosdem militibus rusticis longe præferrent. Quin, si fieri potuisset, integram, ni fallimur, expeditionem rusticam libenter redimendam curassent, ut, hac pecunia adjuti, tanto majorem militum domesticorum turbam sustentare possent. Quod quum ingenio seculi plane repugnaret, satis habebant, expeditionem e prædiis regiis faciendam tributo pecuniario permutare. Ita factum putamus, ut *agris circumseptis*, expeditione proprie sic dicta immunibus, ejus loco *pecunia solvenda imponeretur* [1]). Ea nimirum lege hæ terræ antea publicæ rusticis venditæ sunt. Cognita diversitate servitutis terris cultis expeditionis ratione impositæ, facillimum erit sibi explicare, cur nostrates terras circumseptas a metiendis olim separaverint.

In lege Jutica hæc diversitas nusquam rite exponitur et illustratur. (Quod non offendet scientem, leges primarias, utpote quæ nemini non cognitæ essent, facillime omitti solere). Attamen obiter III. 11. 13 ejus mentio injicitur, aliæque leges ibid. c. 16 ei ita superstruuntur, ut diligentem

---

1) Ad hanc immunitatem respicit forsitan Andreas Sunonis, qui *ornum privilegiatæ terræ* titulo ornat. L. pr. Scan. IV, 8.

investigatorem latere nequeat[1]. Quum vero ex supra dictis apparere videatur, jam inde ab ætate primorum regum christianorum terras circumseptas de expeditione pecunia exemtas fuisse, exemtionis lex haud dubie legem de oneribus expeditionis secundum terræ æstimationem distribuendis ætate superat. Clausulæ vero jus uno tributo satisfaciendi tuituræ, quæ L. J. III. 16 continentur, recentioris utique distributionis respectu additæ sunt. Quibus adstipulantibus rustici terras metiendas et circumseptas eodem jure unius tributi junctim et separatim colebant, tributi genere pro horrei sede diverso. Qui terras utriusque classis junctas colebat, si in terra circumsepta (*iorth, ther i quærsætæ*[2]) *liggær*)

[1]) Non possumus, quin hoc testemur, non ignorantes, hanc diversitatem omnes interpretes hucusque revera latuisse. Qui, præeunte Hvitfeldio, ad sedes quietas (iorth, thær i quærsætæ liggær) illa prædiola modo referunt, quæ aut pretium duarum marcarum arg. non habebant, aut colonis elocata quatuor solidos arg. non reddebant. Cultores horum prædiolorum expeditione vacasse, supra docuimus. Sed præcepta L. J. III. 16, ne plane absurda videantur (cfr. interpret. hujus capitis, quæ *Olufsen* nostrum auctorem habet, Vid. Selsk. philos. og hist. Afh. I. 360 sqq.), ponunt manifesto, terras olim exstitisse, quæ, sive in majores, sive in minores partes sectæ, expeditioni non rite subjiciendæ essent. Hic interpretatio vulgaris investigatorem prorsus destituit. Veram autem interpretationem verba III. 11. 13. collata suppeditant.

[2]) *Quærsætæ*, sedes quieta, ex Isl. *kyrr*, quietus, et *sæti*, sedes. Qui, hac pecunia data, domi mane-

sederet, ibique omnes fructus conderet, expeditione immunis pecunia (et ipsa *quærsætæ* dicta), vacationem parabat, sin ad domicilium suum in terra metienda *(iorth i skipæn* ɔ: terra navigii) collocatum fruges omnium terrarum congereret, expeditionem *(utgœrth.*[1]) v. *lething)* facturus quærsætæ non erogabat.

Quanta fuerit hæc pecunia *quærsætæ* dicta, non liquet. L. Jut. III. 13 modo solidi arg. pro minoribus prædiis circumseptis, quæ colonis locata censum annuum 4 sol. arg. non reddebant, solvendi mentionem injicit. Idem tributum coloni in prædiis metiendis ejusdem classis pro vacatione solvendum habebant. Majoribus autem prædiis exemtionem carius æstimatam esse, jam verba ipsius legis, quum minoribus tantum exemtionem solido arg. taxare videantur, fidem nobis faciunt. Idem ponendum est, ne præcepta L. J. III. 16 abusui januam aperuisse videantur. Nam si rustico, exempli gratia, licuisset, quantascunque terras haberet, tam vili pretio expeditionem reipublicæ debitam redimere, dummodo in ornum suo sedem figeret, in fundo domestico vix diu commoratus esset. Redemtionis igitur pecunia sicut expeditio e prædiis illis mixtis præstanda magnitudini omnium terrarum responderit, necesse est. Præterea

---

bant, vocantur *quærsætæmen*, Libr. Cens. Vald. pag. 11. Const. Erici ad Norjwciam a. 1304.

[1]) *At göræ ut*, expedire. Inde rusticis militantibus nomen *utgærsmen*, L. Jut. III. 12.

ob originem et naturam dictis vectigalibus communes credere fas est, hæc onera, quantum fieri posset, analoga fuisse. Quod præcepta etiam nuper recensita L. J. III. 13. 16, quum prædia metienda et circumsepta eodem loco haberi jubeant, satis perspicue innuunt. Quæ quum ita sint, veri nobis simillimum videtur, prædiis circumseptis, ut metiendis, in tres classes tributi ratione divisis, quum singula prædia tertiæ classis solido arg. redimenda essent [1]), redemtionis summam prædiis secundæ classis duos, primæ vero quatuor solidos arg. fuisse. Quam toties solvendam fuisse, quoties expeditionem socii navales præstandam haberent, quum ex eadem analogia onerum tum e contextu verborum L. J. III. 13 sequi videtur. — At, inquis, si redemtionis summa ita pro magnitudine prædiorum variaverit, terrarum circumseptarum haud minus, quam metiendarum, æstimatione publica opus fuisse videatur. Nimirum, terras circumseptas et excultas censum publicum habuisse, produnt verba L. J. III. 13. Auctor indicis a Suhmio nostro in notis ad libr. cens. Vald. nobis servati de terris tensis incultas modo eximit [2]). Quid est vero, quod agri circumsepti in veteribus historiæ nostræ monumentis tali censu careant? Hoc quidem verum, peni-

[1]) Minimis tamen prædiis proprietariis, quæ ne tantas quidem haberent terras, quæ duabus marcis arg. æstimarentur, immunitatem putaverimus gratuitam fuisse.

[2]) Scriptt. R. Dan. VII. 556.

tius autem rem perscrutanti terræ circumseptæ alia, alia metiendæ apparebit ratio. Eo tempore, quo census ille habitus est, camporum vicanorum quæ culturæ idonea videbantur jam exculta erant, ideoque censum harum terrarum semel habitum iterari supervacaneum putabant, donec vetustas ei tantam conciliaverat auctoritatem, ut hanc ob causam mutationem detrectarent. Militarium vero onerum distributioni substructus, idem omnis mutationis fere expers fuisse videtur [1]). Cui constantiæ et frequenti, qui eam sequebatur, usui hujus census ad indicandum, quota pars camporum vicanorum essent terræ singulorum prædiorum (unde jura eorundem in communibus vici pascuis et silvis pendebat) inprimis debetur [2]), quod in descriptionibus prædiorum censu publico magnitudo vulgo definitur. Sed

---

[1]) Neque *expeditio*, censu duce descripta, usque ad ætatem Erici Glipping mutata videtur. In edicto hujus regis ad Sjællandos a. 1284 pauperibus proprietariis, qui parva sua prædia (en öre skild eller mynne) non colebant, vacatio ab expeditione promittitur (v. art. 10, qui, quomodo in fine edition. legis Juticæ et Sjæll., cura Matthiæ Brandis et Godofredi a Ghemen typis expressus legitur, misere mutilatus codicum mstorum ope supplendus est). Sub Christophoro autem Erici filio *omnes promiscue terræ, quæ non amplius colebantur*, immunes erant (K. Ancher, Lovh. I. 602. 606. II. 548. Cfr. Scriptt. R. Dan. VII. 556). Ejusmodi remissiones, sub Valdemaro secundo vix necessariæ erant.

[2]) Cfr. Staatsb. Mag. III. 12 sq.

eodem tempore terræ, quas circumseptas appellavimus, fere omnes incultæ jacebant. Postea, dum aliæ et quidem pleræque incultæ manebant, aliæ subactæ, atque, ut terris tributariis adscriberentur, censæ sunt. Census vero, pro cultura nunc extensiore nunc contractiore varians [1]), sæpe mutandus erat. Præterea ad magnitudinem definiendam terræ, modo parte quadam exculta, parum utilis, nunquam, limite signato ambitum testante, necessarius erat, ut non difficile nobis videatur dictu, cur eum nostrates olim omiserint. Omissio certe opinioni nostræ de diversitate tributi pro sede quieta conferendi non repugnat.

Debebatur pecunia, ut jubet L. J. III. 13, "*til kunungs garth*", ɔ: villæ regiæ [2]). Quo nomine alias in legibus nostris *sedes exactoris* intra fines herredæ significatnr [3]), nihilque est, quod hoc loco idem aliorsum accipiamus. Sedi gubernatoris minore jure additur. Neque vectigal ex agris, qui ad nullum proprie navigium pertinebant, gubernatori-

---

[1]) Agros enim circumseptos, ne rustici a novalibus agris, spe incerta, proscindendis deterrerentur, haud amplius tributarios fuisse, quam revera colerentur, verisimile nobis videtur.

[2]) Ita editio Ancheriana optimorum codicum fide nixa. Priores ed. habent lectionem haud dubie mendosam "*til konungs bordh*", ɔ: ad mensam regiam, quam vetus etiam interpres Latinus sequitur.

[3]) L. S. Erici III. 49. 62. coll. L. Scan. VIII. 1. Orbodem. c. 41. L. S. Vald. III. 13. Cfr. Andr. Sun. Leg. pr. Scan. IX. 8.

bus apte numeratum videtur. Itaque exactoris fuisse putamus, pecuniam pro sede quieta debitam colligere. Si terræ rustici vel etiam ædificia ejus in diversis territoriis sita essent, ubi fruges condebat, ibidem pecuniam pro vacatione solvendam sicut expeditionem præstandam habebat, in cæteris jurisdictioni illius territorii, ubi focum suum (*arnæ, eldhus*) struxerat, subjectus [1]).

§. 33.

E disquisitione de legibus, quibus usi onera expeditionis causa ferenda nostri sub Valdemaro secundo rusticis descripserunt, patebit, haud facile fieri potuisse, ut descriptio ita facta diu rata esset. Crebræ prædiorum mutationes, nunc emtione et permutatione, nunc hereditate et donatione provocatæ, mutationem officii militaris sæpe provocaverint necesse est. Crebra igitur recognitione opus erat. Quæ quoties iteranda esset, lex Jutica disertis quidem verbis non docet, neque tamen dubium relinquit, jubens: "lething scal e rethes af the agröthæ, ther taken ær, oc æi af the, ther tha liggæ a iorthæ, æller sa sculæs", i. e. expeditio e fructibus jam perceptis, non item e percipiendis, neque e semine terræ nondum commisso facienda est [2]). De expeditione rusticorum e fortuita eorum semente vel messe, quantæ hoc vel illo anno esse diceban-

[1]) Leg. Jut. III. 17.

[2]) Ibid. III. 16.

tur, æstimanda [1]) hoc loco nequaquam sermo est. Constat enim, has non valuisse æstimationis normas. Quot tributa, non quanta essent conferenda, ita definitur [2]). In tributis autem numerandis præsertim ad messis rationem, quot locis nimirum fruges collectæ essent, respectum vidimus. Jam vero lege nostra sancitur, *messem jam factam, non eam, quæ instaret, in hac computatione normam fore.* Itaque si quis, exempli causa, ineunte vere duo prædia antea segregata jure unius tributi conjunxisset, hoc tamen jure non ante messem primam factam vel ante, quam fructus agrorum revera uno loco conditi fuerant, uti licebat. Usque adeo duplex expeditio inde debebatur. Hoc sibi vult proprie regula. Eadem vero simul docet, recognitione nec crebriore nec rariore, quam annua, opus fuisse. Fac enim, onera expeditionis, messe peracta, inter rusticos, prout juberent leges, distributa fuisse: hæc distributio, quascunque demum prædia paterentur vicissitudines, per integrum annum rata manebat; facta autem sequente messe, iterum videndum, quænam mutationes ob diversam ejus rationem necessariæ essent. *Constat igitur, distributionem onerum militarium quotannis semel* (ineunte hieme [3]), ut putamus, quo tempore coepit annus veterum) *retractatam esse.*

---

1) Cfr. Olufsen, Vid. Selsk. philos. hist. Afh. I. 361 sqq.

2) Quod etiam ob contextum exspectandum erat, nam capita 16—19 de tributis numerandis agunt.

3) Verba L. Jut. III. 1: "Thær læthing biuthæs vt, e swa mangæ, sum i en hafnæ æræ, tha faræ hwar

Tacente lege Jutica, qui hunc censum anniversarium habuerint, nescimus. In Svecia autem, ubi eadem consuetudo olim obtinebat, duodecim rusticis a cæteris electis in qualibet herreda hocce munus demandatum fuit [1]). Nostri fortasse eandem viam ingressi sunt. — Censorum erat e legibus nuper explicatis *definire*, *quantum oneris singuli rustici anno sequente*, quoties expeditio imperata foret, *ferendum haberent*. Cui definitioni recognitionem census terrarum circumseptarum præmissam putamus. Omnibus certe censoribus lex erat, plerisque, ni fallimur, nunquam negligenda, tantum oneris, quantum singulis prædiis leges imperarent, revera *ipsis* imponere. Periculosum enim, alia prædia exonerare, ut alia duplex sustinerent onus, etiamsi inter possessores (ut singulari mancipii lege) ita convenisset. Constat tamen, in nonnullis saltem regionibus provinciarum orientalium moris fuisse, agros seorsum emtos, quibus *stuf* nomen [2]), immunes relinqui, dum prædia, unde segregati essent, integra ferrent onera [3]). Causa non dubia videtur. Si prædium rusticum, quomodo

---

theræ sit ar *vten nefnd'*, saltem docent, retractationem non ad tempus expeditionis procrastinatam esse.

1) Botin, om Svenska Hemman, I. c. 2. §. 1—5.

2) Vide supra pag. 133, not. 3.

3) L. S. Vald. III. 5. et L. Scan. IV. 11. coll. Andr. Sun. leg. prov. Scan. IV. 10. Andreas archiepiscopus, cujus paraphrasis hoc loco maximi est mo-

olim fieri solebat [1]), ita divisum fuisset, ut fundus domesticus cum omnibus terræ portiunculis, ubicunque per campos sparsæ essent, in partes proportionales secta jacerent, eadem proportione ducti facillime nostri et censum partium et jura earundem in communibus vici pascui et silvis computabant. Sed, fundo domestico et plerisque camporum portiunculis non divisis, si modo aliquot agri certæ dimensionis (stuf) alienati essent, difficillimum erat, impedita comparatione totius prædii cum parte, censum æquabilem definire terræ alienatæ, quam præterea nulla facile jura in communibus pascuis et silvis sequebantur. Hoc igitur negotio ut supersederent, nonnulli integrum expeditionis onus minuto relinquebant prædio, cui ob alias causas etiam duo illa onera, *stuth* et *innæ*, eadem manebant. Sed plerisque agris ea lege alienatis, prædium spoliatum hæc onera integra vix ferre valebat. "Unde," refert Andreas Sunonis; "quibusdam prudentibus et juris peritis visum est, esse consentaneum æquitati, ut fundi dominus et possessor de prædiis adjacentibus alienatos agros, quantocunque tempore dignoscuntur eos alii possedisse, interventu duodeni juramenti valeat revocare, si tamen cum fundo anno quolibet saltem unus ager retentus fuerit ad culturam." Quæ tamen

menti ad implicata legum verba recte intelligenda, diserte testatur, hoc non nisi "in quibusdam locis" obtinuisse.

[1]) Cfr. supra pag. 65.

lex, quum jura mancipii lædere videretur, repudiata est. Quomodo autem commodis expeditionis aliter prospectum fuerit, non relatum est.

Expeditione singulorum rusticorum definita, restabat *transpositio* in alias hafnas, ubi hæc necessaria videbatur. Qua inprimis videndum, tum ut socii conjuncti sensu militari plenam facerent hafnam, tum ut stipendia a singulis facienda justo ordine jam facta exciperent, ne crebra transpositione alii sæpius, alii rarius, quam deberent, militiam præstarent [1]).

Cæteroquin quum ex jam dictis pateat, fieri potuisse, ut eadem navarchia altero anno plures, altero pauciores haberet hafnas, *remigum numerus* in navi inde expedita *non semper sibi constare poterat.*

§. 34.

Non fieri potest, quin observaverit, qui disquisitionem jam finitam attento oculo sequutus est, integram doctrinam a nobis traditam de expeditionis oneribus inter agricolas plebejos distribuendis præceptis legis Juticæ fere solis niti. Itaque quum pro certo hoc tantum sciamus, in provinciis occidentalibus rem ita institutam esse, non sine causa quæritur, *quo jure statuatur, illud institutum omnibus provinciis commune fuisse.* — Res primo

1) Quæ quum ita sint, non repugnamus, si qui hanc transpositionem gubernatorum, non censorum fuisse malint.

adspectu nullas videtur habere difficultates. Nam parum verisimile est, vectigal, quod incolas omnium provinciarum principalium solvisse, eoque tantum non omnia reipublicæ debita solvisse constet, incolis majorum occidentalium provinciarum aliud, aliud minorum orientalium fuisse, etsi alii aliis nulla re præstarent. Lex Jutica præterea hac in re nihil omnino jubet, quod orientalibus provinciis item imperatum cogitari nequit. Attamen hæ provinciæ peculiares alioquin a majoribus acceptas leges atque instituta anxie servabant. Onera expeditionis, si Danis orientalibus neque leviora neque graviora essent, quam occidentalibus, inter alios fortasse aliter distributa erant. Itaque locis opus est probantibus, Jutorum distribuendi rationem Sjællandis et Scaniensibus communem fuisse. Quos arripere non facilis est negotii. Paucissima enim de officio militandi Danorum orientalium separatim cognita habemus. Brevis illa lex expeditionalis a Kofod Ancher nobis servata præcipuus hîc est fons cognoscendi. Quam ad provincias orientales pertinere, inde colligimus, quod nomen *gælkæræ*, præfectis provinciarum inter alia additum, in Scania modo adhibitum videtur, tum quod præceptum de conductitio tractando consuetudini Jutorum ita repugnat, ut ad provincias occidentales hoc edictum fortasse ne simul quidem pertinere possit. Verum enimvero adsunt quoque indicia minime dubia, quæ juniorem legis ætatem testantur. Ita expeditionem militarem non nisi exercitu hostili Daniæ minante hoc edictum fieri jubet,

alioquin pecunia redimendam. Quæ consuetudo ætate demum post-valdemariana irrepsit, quo igitur lex pertinet. Quin sumtuum faciendorum summa (sequente capite hujus sectionis indicanda) magnitudine sua fallaci ætatem arguit a morte Valdemari secundi multa decennia distantem. Quid multa? Edictum, de quo agimus, rusticis, ut videtur, seculi quarti decimi constitutum, quum militaria Danorum hujus seculi instituta adumbret, multa jubeat necesse est, quæ Valdemari ætati non conveniant. Instituta tamen hujus ætatis partim illis substructa, partim adhuc immutata apparent. Ita provinciæ etiamnum in navarchias (skipæn), navarchiæ in hafnas divisæ erant. Onera militaria inter rusticos secundum hafnas distributa videmus. Hafnæ societates erant plurium rusticorum (hafnomen), quorum unus, rebus necessariis instructus gubernatorem in bellum sequebatur. Quæ hic monstravimus alia monumenta historica ætati Valdemari secundi propiora confirmant 1). Fieri pæne nequit, quin onera inter rusticos pro magnitudine prædiorum et quidem secundum censum publicum olim distributa fuerint in provinciis orientalibus, ubi census

---

1) L. cens. Vald. pag. 55—58. L. S. Erici III. 18, Edict. Erici regis, Lovh. II. 541. Knytl. S. cap. 32. Scriptt. R. Dan. V. 586. 589. Suhm Danm. Hist. XI. 195. Ut idem expeditionis onus hafnis orientalium et occidentalium provinciarum injunctum, ita eadem redemtionis pecunia (marca arg. v. tres marcæ den.), iis imperata erat. Thord. Diac. Art. 87, Libr. cens. Vald. pag. 58. Jus expedit. Lovh. II. 567

cum antiqua terrarum divisione in mansos congruebat. Præterea exceptio L. S. Vald. III. 5 et L. Scan. IV. 11, interpretatione Andreæ archiepiscopi illustrata, regulam præstat. Constat denique ex edicto Erici Glipping a. 1284 Sjællandiæ constituto, redemtionis pecuniam, et eam secundum hafnas irrogatam, pro censu solvendam fuisse. Utrum gradus obligationis in Sjællandia et Scania iidem fuerint, atque in Jutia et Fionia, nec ne, nobis non liquet. Attamen si verum sit, tres Juticæ expeditionis gradus distinctioni jam antea receptæ prædiorum integrorum a dimidiis et quadrantibus deberi, veri simillimum est, eidem causæ eundem effectum ubique adnexum fuisse. Integris vero prædiis Sjællandiæ et Scaniæ incolæ recentiore saltem tempore eadem accensebant, quæ lex Jutica ad primam prædiorum classem refert[1]). Quæ quum ita sint, justa videtur ratiocinatio, *Danos orientales, expeditionis onera distributuros, si non easdem, tamen similes, atque occidentales, leges observasse.*

Præcepta legis Juticæ, ut omnibus Daniæ provinciis re ipsa communia, ita in singulis terris, ubi valebant, omnibus promiscue agricolis plebejis, tam clericis[2]) quam laicis, data erant. Clericorum vero ordo, sedulo, ut solebat, commodis suis prospiciens, reges non ante missos fecit, quam a pietate eorum vacationem fere omnis oneris prædiis

---

1) Vid. supra pag. 106 sq. 118.

2) L. Jut. III. 1. 9. 10.

ecclesiasticis injuncti impetraverat. Quod ei jam ante mortem Valdemari secundi contigit; sed horum beneficiorum cum magna exercitus conscripti attenuatione in clerum collatorum aptius in sectione tertia mentio fiet.

§. 35.

Antequam ad sequentia transimus, non possumus, quin pauca quædam *de chronologia distributionis* a nobis illustratæ addamus, quamvis libenter hac disquisitionis parte supersederemus, siquidem præter conjecturas nihil habemus, quod proferamus. In historia distributionis, uti memineris, *duæ distinguendæ sunt ætates*, quarum *antiquiori* illud proprium, quod distributio fortuita terrarum divisione, qualis a principio facta erat, *recentiori*, quod certa terrarum æstimatione nitebatur. De initio ætatis antiquioris in canam vetustatem ascendente ne sermo quidem esse potest. Inter edicta, quæ Frethoni suo tertio Saxo tribuit [1]), etiam hoc affertur, captiva navigia rusticis esse tradenda, "utpote iis debita, quibus condendi rates instruendique jus esset." Saxo igitur nobis testis est, navarchias antiquissimæ fuisse originis. Sed disquisitionem nostram de origine institutorum Danise militarium ejusmodi testimonia supervacanea reddidisse putamus. Ætas quam antiquiorem appella-

[1]) Saxo, pag. 127. Cfr. Schlegel, in not. ad K. Ancheri Saml. jur. Skr. III. 332, et in diss. Om d. gl. Danskes Retssædvaner pag. 11.

vimus, duas iterum complectitur breviores ætates, quarum indolem nonnihil dissimilem jam supra adumbravimus. Antiquissimo ævo, quamdiu mansos individuos pro lubitu amplificare licebat, expeditio militaris haud aliter ad terras pertinebat, quam ut iis solis patribusfamilias, qui mansos haberent, onus injunctum esset. Itaque, agris novalibus subactis, onus non auctum est, nisi crevisset numerus patrumfamilias, quos proxime sequebatur. Posthac expeditio singulorum militum ad prædia definita pertinebant, quæ non amplius novalibus augere licebat, ut non itidem onus augeretur. Sed aucto tantum cultorum numero, onus non mutatum est, utpote quod terris proxime incumbebat. Initium hujus mediæ ætatis ex illo edicto ducendum, quod licentiam mansos amplificandi cohibuit. Quo spectasse, quod effecisse putamus illam *legem, quæ omnia inculta reipublicæ vindicaverit.* Quum non liqueat, quo tempore hæc vindicatio lege sancita sit, noli tamen credere, ab antiquissimo inde tempore, quo patriæ provincias nostri occupaverint, ita receptum fuisse. Quæ opinio ponit, patriam cum tanto ordine et sollennitate occupatam esse, ut populo plane rudi in terra pæne inculta sedes figenti eo ipso minime conveniat. Quin ab occupatione patriæ tanto magis abhorret, quanto certius est, terras nostras a Gothicis suis incolis sensim modo, parvis colonorum societatibus, altera post alteram, e regionibus transmarinis navi trajicientibus, frequentatas esse. Imperio præterea publico hæc opinio auctoritatem addicit multo majorem

quam quæ antiquissimæ imperii formæ conveniat. Usus denique prorsus liber, qualis etiamnum seculo tertio decimo rusticis competebat, omnium fructuum terræ incultæ satis perspicue innuit, populi jura antiquiora esse, quam regis. Itaque quum pro certo habendum sit, publicam vindicationem incultorum ad recentius aliquod tempus, rege in republica constituta haud mediocri auctoritate pollente, pertinere, *necessitas arbitrariam mansorum dilatationem cohibendi* tam idonea urgensque videtur ejusdem causa, ut, nisi hanc ætate antecessisset, proxime saltem eam secuta sit. Quodsi vindicatio illa publica, uti nobis verisimillimum videtur, hac necessitate vere provocata sit, ætatem illius aliquatenus definire licet. Nam ex iis, quæ supra p. 128 sqq. monuimus, patebit, nullam adfuisse, dum mansi individui colerentur, magnitudinem circumscribendi necessitatem; quæ, quum eosdem dividere coepissent, non diu certe latebat. *Divisio mansorum*, teste Joanne Wallingford, non ante cepit initium, quam religio christiana ab idolatria Danorum victoriam reportaverat. Quod etiam res ipsa suadet; neque dubitamus, quin majores mutatione hereditariæ successionis maritimas inprimis prædationes cohibere voluerint. Quæ cohibitio meritis primorum regum christianorum jure accensentur. Hinc facile putares, divisionem mansorum eodem tempore coepisse, quo foeminarum jus succedendi ex notissima illa traditione, sub Svenone Tveskjæg, secundo Danorum rege christiano, lege sancitum dicitur. Tempus quidem aptissimum putamus; sed,

ne foeminarum admissio antiquiori juri hereditario nimis contraiisse videatur, verisimile est, jam ante inter nostrates aliquamdiu receptum fuisse, mansos inter *filios* dividere, quam in hac divisione *filiarum* ratio habita sit. Cui opinioni favet traditio a Saxone [1]) nobis servata de triplici Svenonis captivitate, ponens, terras incultas reipublicæ vindicatas esse, ɔ: divisionem mansorum coepisse, antequam filiæ participes fierent terræ hereditariæ. Quæ quum ita sint, aut filiarum jus succedendi junioris, quam vult traditio, est originis, aut *publica incultorum vindicatio regnante Haraldo Blaatand* [2]) *incepta mansorum divisione provocata est.* Hoc antiquissimum videtur initium ætati nostræ mediæ ponendum.

Æque difficile est dicere, quo tempore coeperit cum nova distribuendi ratione *recentior distributionis ætas.* Census terrarum, qualis huic rationi substructa est, seculum duodecimum ætate vix superat [3]). Quin immo ne cogitare quidem possumus,

---

[1]) Pagg. 289—292.

[2]) In aliis tamen regionibus prius, quam in aliis, divisionem mansorum, prout rusticis placuerit, lege sancitam putamus. Quare immodica magnitudo nonnullorum mansorum in Jutia inde fortasse explicari potest, quod rustici hic illic libertate mansos divisos dilatandi ante usi erant, quam loca inculta regi vindicata sunt.

[3]) V. supra p. 86 sq. 91 sq. et diss. meam, om Kornprisen i Danm. under Erik Eiegod, Nord. Tidsskr. III. pag. 384 sqq.

æstimationem aliquam terrarum pecuniariam, semente annua nixam, omnibus junctim provinciis occidentalibus pro æqua et justa distributionis norma valuisse, dum pretium frumenti cum dissimilitudine mensuræ in diversis syslis conveniret. Quæ convenientia duodecimo demum seculo sublata videtur [1]. Atvero, novam legem hoc seculo antiquiorem putari, vetat distributionis ipsius ratio, unde patet, patriam nostram, quo tempore hæc distributio lege sancita sit, quum prædia divisionibus ita minuta essent, ut terra 8 marcarum arg. in possessiones primæ classis referretur, frequenter habitatam esse. Præterea, ut milites ex nova lege conscripti mansos numero æquarent (rex autem vix passus est, vires regni militares nova lege admodum infirmari), necesse est, triplus numerus prædiorum primæ classis militiæ adscriptus fuerit. Quorum quum permulta inter plures familias divisa essent, Dania certe, si ex nova lege totidem milites, quot ex antiqua, conscribi possent, patrumfamilias expeditionem debentium numerum saltem quater tantum, quantum antea, mansis nondum divisis, habebat. Quibus quidem famulitio æque aucto non opus erat, attamen modum vix excedimus statuentes, eam rusticorum multitudinem, quæ mansos nostros tributarios ante divisionem inceptam coleret, circa initium novæ distributionis triplicatam esse [2].

---

1) Ibid. pag. 387.

2) De hominum multitudine, quæ Daniam olim incolebat, nonnullas observationes in sectione tertia afferendas habemus.

Tale indigenarum incrementum incolis terræ alicujus non nisi per longam annorum seriem affertur. Quodsi fieri posset, ut, quemadmodum frequentia hominum in patria nostra nunc tribus decimis auctior est, quam tres et quadraginta abhinc annos [1]), ita post alios iterumque alios quadraginta tres annos eadem ratione aucta appareret, centum tamen et triginta prius effluerent anni, quam ea hominum frequentia, quæ anno 1787 Daniam habitabat, triplicata esset. Ex hac igitur ratione, si divisio mansorum sub finem seculi decimi incepta esset [2]), incolarum multitudo sub Nicolao demum rege tanta cepisset incrementa. Verum anni 1787—1830 aucui incolarum tam secundi fuerunt, ut incrementum probabile seculo undecimo et duodecimo ineunte captum exinde computari nequeat. Quod temporis spatium hoc nomine potius infaustum dicendum. Prior ejus pars magnis quidem rebus gestis inclaruit; sed multos milites bella absumserunt; victorias multæ emigrationes sequutæ sunt. Posterior prædationibus inprimis Vendorum, qui, tractus maritimos infestantes, eos pæne vastos reliquerunt, triste insignis est. Regiones interiores, quibus piratæ pepercerant, bella civilia, quæ medio seculo duodecimo patriam lacerabant, populata sunt, donec tandem Valdemarus magnus hisce calamitatibus

---

[1]) Dania proprie sic dicta, cui medio anno 1787 incolarum 840,000 erant, nunc eorum 1200,000 et amplius habet.

[2]) Circa annum demum 972 Haraldus baptizatus est.

finem imposuit. Luce ideo clarius putamus, non fieri potuisse, ut jam Nicolai tempore frequentia incolarum tanta cepisset incrementa, quanta recentior onera distribuendi ratio requirere videatur [1]. Quare quum ponendum sit, legem nostram ad recentius aliquod tempus et quidem ad illam ætatem, quam Valdemarianam appellavimus, pertinere, haud inviti putaverimus, eam sub finem duodecimi vel initio tertii decimi seculi perlatam esse. Ante annum 1187 vix promulgata est; Saxo enim, qui res annis 1157—1187 gestas tanta diligentia memoriæ prodidit, legem novam ne verbo quidem commemorat. Anno autem 1231 expeditionis onera secundum eam jam distributa videmus [2]. Quodsi jus recentius expeditionale circa initium seculi tertii decimi datum sit, recentioris est originis, quam census ille arvorum et pratorum, quo nititur. Usus æstimationis, quatenus paucis quibusdam exemplis cognitus est, ad annos 1168 et 1170 ascendit [3], et liber censualis Valdemari, ubi census noster pag. 22 *antiquus*, quin pag. 16 *antiquitus* habitus dicitur, ætatem etiam majorem ei vindicare videtur. At, inquis, nisi in distributionis commodum, quor-

---

[1]) Cfr. Adam. Brem. de situ Dan. cap. 1. Saxo pag. 419. 438.

[2]) Libr. cens. Vald. pag. 9, cfr. supra pag. 115.

[3]) Scriptt. R. Dan. V. 242. 245 sq. cfr. Suhm, Danm. Hist. VII. 257 sq. 354 sq. In nullo tamen diplomate antiquioris anni, quam 1183 (Dipl. Arn. Magn. I. 270), censum allatum vidimus.

sum tandem publicus ille terrarum census habitus est? Graviorem sane terræ censendæ causam nullam afferre possumus, unicam vero eandem non putamus. In Anglia seculo undecimo prædia rustica æstimata, et quidem libris et marcis anni æstimata reperiuntur [1]), licet officium militandi secundum hydas (mansos) injunctum videatur [2]). Quo fit, ut facilius credamus, nostratibus quoque, nulla militiæ ratione habita, simili prædiorum censu usum fuisse. Quod etiam comprobat ipsius census nostri ratio. Æstimatio enim terrarum Sjællandicarum, ut memineris, ad ætatem pertinet initium seculi duodecimi præcedentem, cui novam legem militarem vindicare ob causas jam allatas non licet. Census igitur prædiorum in provinciis orientalibus legem nostram ætate præcurrit. Nec dubitamus, quin occidentalium quoque provinciarum incolis eodem tempore simili censu opus fuerit, licet antiquissima sua forma nobis non cognitus sit. Ob dissimilitudinem, putamus, conditionis oeconomicæ syslarum initio admodum varians, quum duodecimo deinde seculo, dissimilitudine illa magnam partem sublata (licet diversa pondera et mensuras retinerent), parum commodus videretur, ita mutatus est, ut omnibus provinciis occidentalibus, immo regno integro communis fieri posset. Quem vero ad finem antiqua illa ætate census terrarum habitus sit, nobis

---

1) Vide nobiliss. libr. cens. Domesdaybook passim, cfr. Indices ejusd. pag. VII sq.

2) Lingard, Hist. of England, I. 344.

non plane liquet. Si quidem constet, ordinaria (lething, stuth et innæ) ad æstim non spectasse, extraordinaria tamen, regi[illegible] tidem rusticorum consensu permissa, ea [illegible] duce injuncta sunt. Sed facile credimus, eam ad vectigalia omnino non respexisse. Ex iis, quæ supra [1]) observavimus, pro certo fere habendum est, majores jam inde ab antiquissimo tempore regulas (easdem haud dubie, quibus recentiorum census superstructus erat) habuisse lege sancitas, quibus terras in solutum accipiendas censuri uterentur. Ipsa quidem æstimatione non ante opus erat, quam debita terris solvenda. Commodum tamen, pecuniam habere publice ante signatam, quam eroganda esset. Accedit, quod nonnulla jura legitima e re familiari singulorum, e pretio terrarum, pendebant [2]). Rustici igitur in judicio adsidentes, nisi terræ jam censæ colerentur, sæpe dubii non potuere, quin prædia censenda curarent, antequam jura possessorum agnoscerent. Hisce necessitatibus, ni fallimur, publicus terrarum census debetur, nec nimium facile iis ita tribuimus. Fac enim prædium aliquod, mansum integrum vel partem ejus, alterutra de causa censendum fuisse: quomodocunque definiretur, quantam sementem illud prædium quotannis caperet, iisdem temporis et operæ impensis omnes terræ ejusdem vici censæ sunt. Prædium nimirum censendum certa erat pars totius

---

[1]) Pagg. 85 et 94 sq.

[2]) Vide e. gr. Leg. Scan. V. 38. Leg. Jut. I. 30. II. 51.

campi vicani. Ex eo igitur tempore census mansorum hujus vici rusticis cognitus, in actis fortasse judicialibus adnotatus erat, ideoque, quoties aliud prædium in eadem vico censendum, nova disquisitione supersedere poterant. Nulla enim suspicione de fide census jam habiti mota, in eo sine dubio posthac acquiescebant. Quæ quum ita essent, quomodo, quæsumus, fieri potuit, ut hac via majores ad publicum quendam censum omnium mansorum non sensim pervenirent? Sed hæc hactenus.

§. 36.

Omnia expeditionis onera, quæ hacusque plebejis distributa vidimus, arvorum et pratorum usui injuncta sunt. Atvero quantacunque Danorum pars, ut semper ita antiquiore inprimis tempore, ex arvis et pratis reditus fere omnes traxit, haud pauci tamen quum eorum, qui *rure* vitam degebant, tum eorum, qui *oppida* incolebant, aliis quoque viis victum quæsiverunt. Quos e reditibus suis non minora tributa reipublicæ debuisse, quis negabit? Leges igitur, quas nuper interpretati sumus, non sufficere videntur ad onera militaria omnibus plebejis pro reditibus distribuenda, quoniam desiderantur regulæ, quas majores, reditus agris et pratis non debitos tributo oneraturi, sequebantur. Ruricolarum primum mentionem facere placet, ut deinde ad oppidanos transeamus.

Præter fructus ex *agricultura* et *pecuaria* redeuntes ii, quos *silvæ*, quos *venatio*, quos *piscatus*, quos denique *quæstus molitorum* reddebant,

ruricolis imputandi fuisse videntur, ubi reditus ex æquo onerandi erant. *Usum* vero *silvarum* non opus est hóc loco commemorare, postquam jam supra docuimus, hunc olim *non oneratum* fuisse. Idem de *venatione* dicendum. Non dubitamus, quin venatio agricolis et pecuariis initio et quamdiu major terræ pars inculta saltibus operta jacebat magnam victus partem suppeditaverit. At horum redituum expeditionis causa censum agere, hominibus certe illius ætatis in mentem non venit, qui ne terrarum quidem magnitudinem censuerunt. Præterea, quibus omnium fructuum in locis incultis provenientium usus prorsus gratuitus competebat, quidni ferarum? Sed in Dania nostra, ubi regiones montuosæ, ferarum receptacula, propemodum nullæ, hæc victum quærendi via haud diu incolis patebat. Terra enim frequentius inhabitata, quum silvæ olim late patentes, ne arva deessent, magnam partem exstirpatæ essent, feræ ita rarescebant, ut venandi jus, ne regibus et primoribus regni nobilissima illa voluptas plane perderetur, rusticis plebejis ademtum sit [1]). Quo tempore hoc factum, nostra nihil interest. Nam, etiamsi fieri possit, ut jus in propriis terris venandi rusticis etiamnum regnante Valdemaro secundo relictum fuerit, nihilo minus certum est, *fructus e venatione redituros*, rusticis plebejis tamdiu modo permissa, quoad nullius pretii

---

[1]) K. Ancher, om de gl. Danske Loves Grunds. §. 23 (Saml. Skr. II. 311 sqq) cl. Schlegelii notis illustr. Mandix, Landvæsensret, II. 354 sq.

viderentur, *expeditionis causa non censos esse.* — Haud alia erat *piscationis* ratio [1]). Omnes aquæ piscatoriæ cura humana non collectæ vel munitæ [2]), eodem loco, ac terræ incultæ, habitæ, ad *almenninga* pertinebant, donec jure legitimo vindicatæ erant. Jus dulces aquas vindicandi possessoribus terrarum circumjacentium competebat, quare pleræque jam mature in privatam possessionem transierunt. Maria autem prolixas patriæ oras alluentia ex hac lege vindicare non licebat, ideoque anno 1241 etiamnum omnia litora maritima *(forstrandæ)* publica erant [3]). Recentiore demum ætate clerici nobilesque dominium litoris, quo prætexta erant prædia ipsorum, usurparunt. Omnium aquarum, dum publica erant, rustici usum habebant prorsus gratuitum ad piscandum [4]). Neque mirum illud; aquæ enim piscatoriæ plane eodem loco, ac silvæ, erant habendæ. Privatis quidem dominis eædem non item inutiles reputabantur possessiones: in libris nostris censualibus merces piscatus conducti sæpenumero affertur [5]). Seculo septimo decimo

---

[1]) K. Ancher, l. c. §. 24 (ibid. pag. 323 sqq.). Mandix, l. c. pag. 389 sqq.

[2]) "Thær ey meth dammæ fæsth ær", L. Scan. XII. 1.

[3]) L. Jut. III. 61.

[4]) Knytl. S. cap. 28. Jus Slesvicens. antiqu. cc. 68-71.

[5]) Regi ipsi, tanquam privato proprietario, piscatus quæstuosus erat, v. Libr. cens. Vald. pag. 8. 10. 29. 32. 43. 57. 58. al.

hæc merces ad vulgarem unitatem (tonnam Hartkorn) census relata [1]), in venditione et permutatione prædiorum eodem loco, atque alii reditus librorum censualium, habita est. Sed hæc computatio ad privatos tantummodo usus instituta est, siquidem *reipublicæ e piscatu ruricolarum nulla tributa debebantur.* Quare, novo terrarum censu sub Christiano quinto habito, quum paucis quibusdam locis quæstus piscatorum, ut vectigalibus oneraretur, tonnis Hartkorn (Fiskerstade-Hartkorn) census esset, hæ tonnæ tamen leviora eadem onera ferebant, quæ silvis injuncta sunt. Alias quæstus piscatorum etiamnunc in patria nostra immunis est. Ut cuivis rustico aqua sua stagnante et profluente ad piscandum libere uti licebat, ita profluentis ope molam suam agere eidem integrum erat, dummodo oppilatio aquæ huic usui necessaria veteribus molis vel aliorum agris et pratis nullum detrimentum afferret [2]). *Quæstus molitorum*, ut putamus, antiquissimæ ætati plane ignotus, si opportunitas loci permitteret, licitus videbatur usus prædii, insolito onere minime gravandus. Quem olim revera immunem fuisse, inde patet, quod quum, regnante Christiano quinto, tributo oneratus esset, leviora illa ferebat, et etiamnunc fert onera. — Quæ quum ita sint, disquisitionis via invenimus quod lex Jutica, nullam aliam distributionis normam afferens, postulare videtur, *expeditionis onera, sola duce*

---

1) A. Berntsen, l. c. II. 20. 41 sq. 183—190.
2) L. Jut. I. 57.

æstimatione arvorum et pratorum, ruricolis distributa fuisse. — Ad oppidanos transimus.

§. 37.

Ante Valdemarianam ætatem, dum piratæ omnia maria septentrionalia infestabant, prolixa patriæ litora paucissimos habebant incolas. Per integrum illud seculum, quod imperium Valdemari magni præivit, pæne deserta jacebant [1]). In non nullis tamen locis navigationi præsertim opportunis arces exstructæ erant illorum temporum more munitæ, quæ quum rusticis proxime habitantibus tum navibus inprimis bellicis, quas nautæ post finitam expeditionem in aridum quidem subducere solebant, in aperto autem litore nequaquam tuto relinquere poterant, præsidio forent [2]). Hæc castella — quæ erat medii ævi ratio in sectione secunda diligentius illustranda — vasallis cum tantis terrarum circumjacentium tractibus, quanti ad ipsos et milites præ-

---

[1]) Adam. Bremens. de situ Dan. cap. 1. Saxo p. 419. 438.

[2]) Ejusmodi castellum lingua septentr. *borg*, anglosax. *burch*, *birg*, *byrig* dicebatur. In lege castrensi Canuti magni scribitur *byrgh* (Scriptt. R. Dan. III. 164. K. Rosenvinge, Saml. af gamle Danske Love V. 6), unde acuta pronuntiatione *byrc* (cfr. Scriptt. R. Dan. I. 444 sq.) formatum est. Alio nomine idem appellabant *vik* v. *vig*, Isl. *vigi*, propugnaculum. Posthac oppidis ipsis in vicinia castrorum exstructis incolæ Scandinaviæ et Germaniæ inferioris duo illa nomina, *borg* et *vik* indiderunt.

sidiarios alendos sufficerent [1]), feudo tradita erant. Sed mox uberiores fructus hæc territoria reddebant. Ne enim dicamus, cum colonis terras colentibus piscatores inprimis, quibus nusquam alias piscationi proprie operam navare liceret, domicilia sub tutelam harum arcium tam frequentes collocasse, ut magni sæpe vici in vicinia eorum paulatim surgerent, huc etiam piratæ a prædatione sub hiemem reversi, huc rustici militantes, finita expeditione naves subducturi, prædam captam portarunt. Cujus quum non possent, quin maximam partem aliis rebus sibi necessariis commutatam optarent, e regione vicina omnes, agricolæ et opifices, quicun-

---

[1]) Territorium arcis, postea oppidi, in nonnullis juribus municipalibus (quæ ad Jutiam inprimis meridionalem pertinent) vocatur *wicbelle*, *wickbelde*, *wichbilde*, *wigbelt*, *wichbolde wiböll* etc. De etymologia hujus vocis disceptarunt jurisconsulti (K. Rosenvinge l. c. pag. 615 sq.). At nonne *vik*, 1) propugnaculum, castrum, 2) oppidum, et *ból* sunt radices ejus? Antiquissimæ ætatis homines unumquodque prædium *ból* vocabant. In occidentalibus ideo Daniæ provinciis, ubi prædia tam diversæ erant magnitudinis, illud nomen etiam magnis quibusdam prædiis inditum est seorsum collectis, quorum terræ posthac divisæ frequentium vicorum incolas alebant. Multorum pagorum (in Langelandia inprimis et Jutia meridionali) nomina, quæ syllabis: *bol*, *böll*, *bul*, *büll*, *bel*, *bolle*, *bölle* al. terminantur, hujus originis testes sunt. Territorium igitur arci cuidam adjectum haud inepto sane nomine *vígból* appellatum videtur, quod iterum in formas illas vulgares facillime translatum est.

que tales res venales habebant, quin peregrini mercatores, pericula maris et direptionis spernentes [1]), ne lucrum ob inscitiam barbarorum haud dubium amitterent, ad idem tempus huc convenerunt. Jam magnus quidam mercatus habitus est. Sed, quæ erat indoles illorum temporum, nisi feritas emtorum et venditorum coercita fuisset, nunquam certe sine rixis cruentis haberetur. Itaque in certo loco (in foro) mercatu haberi jusso, pax hujus loci severis legibus munita est. Quas administrandas præfectus arcis (advocatum, Foged, eum vocabant) ita in se suscepit, ut libertatem in foro mercaturam faciendi certo tributo (torggiald v. torgörtug) omnes emerent, legum præterea violatores poenæ pecuniariæ partem regi solverent [2]). Vicus autem castello vicinus, ex quo mercatum illum sollennem in foro ejus habere coeperant, *köping* (Isl. *kaupángr)*, in Latinis diplomatibus *villa forensis* (ɔ: Markedsflekke) appellabatur [3]). — Hæc proprie

---

1) Cfr. Scriptt. R. Dan. I. 444. 479 sq. 483. Suhm, de Danskes og Norskes Handel og Seilads i den hedenske Tid, Kbh. Selsk. Skr. VIII. 52 sqq.

2) Hæc sunt *fori jura*, hæc jurisdictio monachis Sti Petri Nestvediens. ab Erico rege a 1140 concessa, Dipl. A. M. I. 10, cfr. Schlegel, in notis ad K. Ancher, Saml. Skr. II. 626. Ejusd. Statsret I. 113. et De gl. Danskes Retssædv. pag. 133.

3) *Kaupángr*, commeatus mercium, nomen ipsi mercatui (posthac *markaðr* dicitur) ab initio proprium fuisse videtur. Neque ad ideam emporii, quale in principio exstitit, vicus ibidem exstructus proprie

sunt initia *maritimorum oppidorum* (strandköpingæ), ad quorum classem longe plurima oppida nostra pertinebant. *Mediterranea* (axelköpingæ) autem iis potissimum exstiterunt locis, ubi homines olim seu religionis, seu jurisdictionis, seu alia quacunque de causa frequenter convenire solebant. Mercatura a convenis obiter facta similes hîc, atque in litore maritimo, leges et instituta provocarunt. Tot hominum conventus maximæ erat utilitati *villanis* (ita *köpingsmen* in Lat. dipl. redduntur), quorum haud pauci alimentis præparandis et advenis excipiendis quæstum faciebant. Sed mox advenarum, qui annuos mercatus visitare solebant, permultos, opifices, tabernarios et institores, quibus vicinia fori commodissimum domicilii locum præbebat, inter ipsos considentes viderunt. Horum incolarum nonnulli fortasse rure antea habitaverant, plerique vero e Germania immigrasse videntur [1]). Opportunitatem loci dominus villæ gratuitam esse nolens, a quolibet cive eam tributo quodam (*mitsommersgiald* v. *arnægiald* [2])) compensari jussit. Omnibus præterea alium, quam

pertinet. Nonnulla oppida origine sua fortasse mera erant fora, quo mercatores certis temporibus conveniebant, postea demum ædificiis cincta.

1) Saxo pag. 381 sqq.

2) Hisce nominibus idem tributum, in orientalibus provinciis illo, in occidentalibus hoc, signatum putamus, coll. K. Rosenvinge, Lovsaml. V. 65. 72. 97. 102. 129. 260. 375. 438 al. Dipl. A. M. I. 4. 7.

agricolæ et pecuarii, quæstum facientibus, inter eos piscatoribus ipsis, potestas faciendi certis tributis emenda erat. Quibus oneribus deinde omnium maximum, portorium, accessit. Sed postquam mercatores et opifices in villis nostris forensibus stabiles sedes fixerant, quum mercatuum annuorum non satis esset, minores mercatus singulis hebdomadibus habebantur; quin quotidie in plateis et in domibus civium merces mutabantur. Cum ea amplificatione mercaturæ jurisdictio simul amplificata est advocati, cui jam cura disciplinæ publicæ in toto oppido incumbebat. Hæc initia videntur *judicii* illius *urbani* sub advocati auspiciis commissi [1]), in quo usque ad medium seculum duodecimum causas ad mercaturam modo et publicam disciplinam spectantes dictas putamus, dum cæteræ in judicio provinciali agerentur. Incommodum jurisdictionis ita separatæ eo haud parum auctum est, quod leges ruricolarum pluribus nominibus novo vitæ generi in oppidis occepto minus conveniebant. Non deerant igitur causæ idoneæ urbanam jurisdictionem a provinciali prorsus separandi, et revera

---

10. 11. — *Jorthskyld* v. *Toftegjald*, ɔ: merces fundorum, seorsum eroganda erat, v. K. Rosenvinge l. c. pag. 97. 438. 479. al.

[1]) Ab initio in ipso castello fortasse exercitum est, unde nomina *Birkething* et *Birkeret* derivanda putamus. Cfr. K. Ancher, Saml. Skr. II. 686 sqq. K. Rosenvinge l. c. pag. 614 sq.

a medio inde seculo duodecimo [1]) in aliis atque aliis villis forensibus jus urbanum soli curæ advocati permissum est [2]). Jurisdictionis peculiaris usi commodis cives deinde consuetudines terræ, quæ ipsis minus placebant, proprio Marte mutarunt. Sed horum scitorum nulla, si forte Slesvicensium excipias, ante Valdemarum secundum mortuum regia auctoritate sancita sunt. Desiderabantur adhuc leges quæstum urbanum et rusticum separantes, quales nostro tempore salutem rei urbanæ inprimis suffulciunt ac tuentur. Et antiquissimæ constitutiones, quæ huc faciebant, quum ejusdem videantur temporis, atque edicta, quæ portorium solvi jubebant, ascendunt quidem ad ætatem Valdemari nostri, sed sequentes demum reges hanc separa-

---

[1]) Civitas Slesvicensium, quæ vicinitati Germaniæ et curæ fortasse Canuti sancti ducis, maturiorem explicationem institutorum municipalium debet, peculiarem jurisdictionem Svenoni Magni filio acceptam refert (v. prooemium et §. 1. juris ant. Slesv. K. Rosenvinge l. c. pag. 311). Sed leges eorum antiquissimæ, quales nobis restant, posthac demum consignatæ sunt.

[2]) Monasterium Nestved., cui Ericus Lam a. 1140 "forum villæ et omnia *fori jura*" largitus est, literis Erici Plovpenning a. 1239, Erici Glipping a. 1268 et Erici Menved a. 1289 "cuncta *jura forensia* atque *civilia*" sibi confirmata habebat (Dipl. A. M. I. 10. 128. Scriptt. R. Dan. IV. 337 sqq.). Itaque inter annos 1140 et 1239 jurisdictio forensis et civilis hic conjunctæ videntur.

tionem majore attentione dignam habebant, et plura secula ante effluxere, quam illam peragere contigit.

Hisce observationibus [1]) de origine oppidorum præmissis, facilius intelligemus, quæ de incolarum officio militandi ante Valdemarum secundum mortuum statuere liceat, certorum enim indiciorum modo paucissima adsunt. Lex Jutica de expeditione oppidanorum seorsum non agit. Jura municipalia fere nihil habent, quod in nostram utilitatem conferre possimus. Quæ enim obiter nonnulla monent, quum ad ætatem multo recentiorem pertineant, nulli nobis usui sunt, quibus id saltem constat, civitatum expeditionem seculo quarto decimo aliam fuisse, quam ante annum 1241. Non magnopere tamen dolendam putamus hanc penuriam fontium, quippe quum *expeditio oppidanorum antiquiore nostra ætate a ruricolarum re ipsa parum diversa pecunia plerumque redemta videatur*.

Jura nostra municipalia, qualia literis sunt consignata, leges subsidiariæ erant, ea modo jubentes, quæ oppidani cum ruricolis non communia

---

[1]) Cfr. G. L. Baden, De danske og norske Stæders Oprindelse etc. (v. Ejusd., Afh. i Fædernelandets Hist. II. 1 sqq.). Ejusd. Danm. og Norges Handel og Næringsveie pag. 16 sq. 43 sqq. 87 sq. 158 sqq. 172 sqq. 197 sqq. al. Nyerup, Skildr. af Tilst. i Danm. og Norge, I. 113 sq. al. Mandix, Landvæsensr. I. 9 sq. Schlegel, De gl. Danskes Retssædv. pag. 114 sqq. Ejusd. Statsret, I. 110 sqq.

habebant. In cæteris leges terræ normæ erant [1]). Quare antiquissima eorum, non ita multos annos ante et post legem Jut. consignata [2]), quum expeditionis nullam omnino mentionem faciant, nobis utique permittunt credere, legem expeditionalem ruris et oppidorum incolis communem fuisse. Non multum tamen apud nos valeret hoc argumentum a silentio, nisi aliæ rationes idem suaderent. Pleraque oppida origine sua nihil aliud erant, quam vici vulgares: iisdem diu adspectu prorsus similes manebant. Incolæ, eodem loco, atque alii rustici (coloni) habiti [3]), quum legibus terræ convenienter lething, stuth et innæ præstitissent, omnia vectigalia ordinaria regi debita solverant. Ex quo autem vicus jura villæ forensis nactus erat, commoda e vicinia fori redundantia tum generali tributo omnes, tum speciali quodam illi villani compensabant, qui mercatoris vel opificis faciebant quæstum. Hæc tributa quasi supplementa erant eorum, quæ cives illi ex vulgaribus regulis (quum nullas vel parvas modo terras haberent) reipublicæ debebant minora,

---

1) K. Rosenvinge l. c. pag. 186.

2) Lex Slesvicensium aliquot annos ante legem Juticam, Roeskildensium a. 1268, Ripensium a. 1269 conscripta est.

3) Dipl. A. M. I. 10. 89. 185. 186. Terpager, Ripæ Cimb. p. 175. Scriptt. R. Dan. IV. 339. VII. 535. Suhm, Danm. Hist. X. 967. Terræ villarum forensium nonnusquam saltem, velut vicorum, in mansos divisæ jacebant Dipl. A. M. I. 5. Suhm, l. c.

quam pro reditibus æquum erat, ideoque agricultura et pecuaria, quas leges provinciales satis onerabant, tributi specialis immunes erant. Sed eo ipso veri haudquaquam simile est, expeditionis onera oppidanis simul aucta fuisse. Observationes contra jam supra factæ fidem nobis faciunt, reges, quicquid oppidani ad necessitates reipublicæ supra vulgarem expeditionem conferre possent, pecunia quotannis numeranda, quam aucta expeditione accipere maluisse. Quo tempore enim hic fons largius fluere coepit, regi certis reditibus pecuniariis præ aucto plebejorum exercitu opus erat [1]), atque incommoda antiquæ rationis tam manifeste patebant, ut removenda potius, quam augenda viderentur. — Ob has causas, expeditionis onera ruricolis et oppidanis illa ætate, de qua agimus, paria fuisse, rati, nescimus tamen, an præcepta L. J. parvis quibusdam additamentis et mutationibus usui oppidanorum accommodata sint. Ita præceptum L. J. III. 13, colonis tertiæ classis solidum arg. pro vacatione expeditionis imperans, in oppidis a colonis habitatis omnibus fortasse civibus, minorum fundorum incolis, sive integram aliquam domum, sive partem ejus habitarent, juxta datum erat, ne multi ædificiis jungendis unico tributo satisfacere possent. Ubi-

---

[1]) Cfr. supra p. 134 sq. Sequentibus quoque seculis reges ex hoc novo fonte maximo successu hauriebant, dum plerisque reditibus e rure percipiendis clerici et nobiles potiti erant, v. G. L. Baden, D. og N. Handel og Næringsveie p. 197. al.

eamque vero cives in propriis terris habitarent, lenitas L. J. III. 12 erga pauperes proprietarios, quorum terræ pretium 2 marc. arg. non habebant, nullius usus fuisse videtur, siquidem paupertas parvitatem fundi non sequebatur. Quodsi oppidani parvorum illorum fundorum possessores et conductores minorum prædiorum in re expeditionali eodem numero habiti sint, cives facile plerique solido suo arg. expeditionem redemerunt. Quin cæteri quoque, nostro saltem Valdemaro regnante, pecunia numerata ab expeditione fortasse vacabant. Neque illud mirandum; plerisque enim oppidis nostris in terris publicis conditis [1]), terræ eorum, antea almenningar, sedibus quietis (quærsætæ) jure accensebantur. Regi præterea licebat hanc vacationem pecunia oppidanis vendere [2]), quibus haud dubie tanto acceptior erat, quanto majus detrimentum absentia eivium quæstus urbanus accipiebat. In libro censuali Valdemari aliquot summæ "pro redempcione expedicionis" numeratæ afferuntur. Ita *Wibiærgh*, *Ripæ* et *Lund* 40 marc. arg. (120 m. den.), *Randrös* et *Horsnæs* 20 marc. arg. (60 m. den.), *Aleburgh* 24, *Tummæthorp* 14 et *Arus* 12 marc. arg. solverunt [3]). Cætera oppida expeditionem non itidem redemisse, e silentio hujus scripti minime sequitur. Permultis enim locis dolendum, fontes,

---

1) Libr. cens. Vald. pagg. 45—49.

2) Exempla nonnulla vacationis etiam ruricolis venditæ in sectione tertia afferentur.

3) Libr. cens. Vald. p. 5. 6. 7. 8. 9. 13. 40. 41.

unde hauriret auctor, sæpe parcius fluxisse. In Jutia septentrionali, de qua plurima cognita habuisse videtur, summæ quoque redemtionis plerorumque oppidorum afferuntur. Præter oppida commemorata multa alia (Hethæby, Othensö, Roskildis, Worthingburgh, Hælsyngburgh, al.), in terris publicis itidem condita, sedis quietæ jure procul dubio fruebantur. Quorum tributa expeditionis loco soluta omittens liber censualis rationem hoc ipso nomine imperfectam prodit. In tanta autem summarum paucitate duas tamen affert a civitatibus (Ripæ et Horsnæs) solutas, quæ in terris publicis non conditæ videntur [1]). Hinc colligimus, vacationem illis civitatibus venditam esse, unde iterum conjicere licet, cæteras quoque civitates, quibus expeditionis redimendæ proprie jus non esset, eadem lege vacasse. Liberationis pretia in libro nostro censuali forsitan omissa sunt. Verisimilitudine igitur non caret conjectura, circa annum 1231 omnia oppida nostra expeditionem pecunia redemisse. — Cæterum summæ redemtionis nobis cognitæ ut magnitudinem oppidorum relativam docent, ita innuunt, quantam maximam incolarum frequentiam iis tribuere liceat. Nam 40 marcæ arg. faciunt 960 solidos arg. Wibiærgh igitur Ripæ et Lund, quæ illam pecuniam erogabant, si præter fundos

---

1) Nam quum anno 1231 terræ oppidanæ privatæ essent. (Libr. cens. Vald. p. 45), oppida ipsa tam antiquæ sunt originis, ut haud facile unquam antea regiæ fuerint.

domestico[illegible] tempore nullos omnino agros sibi adjectos habuerint, ad summum 960 cives ideoque probabiliter septem vel octo millia incolarum numerarint. At si magnam pecuniæ partem cives non ita multi, qui agros oppidanos colebant, solverint, incolarum numerus multo minor fuerit necesse est. Hic civium numerus in frequentissimis nostris emporiis, quum spe minor potius, quam major videatur, sententiam nostram, expeditionis onera oppidanis non graviora fuisse, quam ruricolis, haud parum confirmat.

Caput quintum.

De ipso onere expeditionis.

§. 38.

Disputavimus in antecedente capite de legibus, quas majores secuti expeditionis onus ruris et oppidorum incolis olim distribuebant. Vires, quibus suam quisque subibat oneris partem, quatenus easdem legis modulo meteri licet, nobis cognitæ sunt. Restat, ut onus ipsum propius intueamur. Quo demum facto, gravitatem ejus æstimare licebit. Itaque quæritur, *quod* et *quantum* esset onus singulis incumbens, *quoties* et *quomodo* ferendum. Nonnulla huc pertinentia jam supra obiter afferenda erant. Quæ vero ad illas quæstiones potissimum respondenda habemus in hoc capite invenies. Hæc ita digerenda putamus, ut primum *de crebritate et*

brevitate expeditionum in universum; deinde *de navi* communi *navarchiæ* sumtu ædificanda et instruenda, tum *de commeatu* singulis nautis communi *hafnæ* sumtu suppeditando, postea *de armatura proprio* singulorum sumtu comparanda, tandem *de militia ipsa* singulis toleranda verba faciamus. Coronidis instar de minoribus quibusdam tributis et operis expeditionis causa præstandis pauca adjicientur.

§. 39.

Quoties expeditio facienda, e facientium arbitrio non proprie pendebat. Si alii quidem populo bellum inferre opportunum videretur, suffragia in comitiis (primum omnium militantium, postea nobilium) lata decreverunt, utrum opportunitate uti liberet, necne. Impetu vero hostili in patriam facto, rustici, e bello fortasse nuper reversi, classem denuo nolentes volentes expedire debebant. Itaque lege ad summum definiri potuit, quoties expeditio oppugnandi causa iteranda esset. Justis tamen rationibus ducti nostri hoc omiserunt. Nam cum illo jure plebi servato in comitiis armatis expeditionem præeuntibus impetum faciundum decernendi lex de expeditione post certa intervalla iteranda conciliari nequit. Valdemariana quidem ætate plebs non amplius prærogativa erat, nobiles autem ejus jura tenebant. Accedit, quod expeditio certis temporibus renovanda, incerto, quoties ad regni defensionem iteranda esset, ut per se inepta, ita rusticos facile nimis gravare potis erat. Bellis

vero inferendis arbitrio populi relictis, et utilitati bellorum et facultati militum justa cura adhibita est. Ita factum, ut oneris militaris conveniret modus non sine necessitate excedendus. Secundo Valdemaro regnante haud dubie institutum erat, ne præter necessitatem singulæ navarchiæ sæpius, quam *semel in anno* naves expedirent; verba enim L. J. III. 1 ad hoc institutum aptata sunt. Quin immo, ne iterata expeditio aliis annis necessaria rusticos nimis gravaret, aliis annis nulla omnino expeditio facta est, L. J. III. 3. Quamdiu ante legem Juticam latam hunc modum nostri adhibuerint, nescimus [1]), haud dubitantes, quin homines antiquissimæ ætatis bella appetentis tanta moderatione non usi sint.

Neque ulla lex definivit, *quo anni tempore expeditio fieret*. Ut defensoribus necessitas, ita aggredientibus opportunitas tempus belli statuit. Expeditiones quoque Valdemari magni et Canuti filii adversus Vendos apud Saxonem [2]) diversis anni tempestatibus factas legimus. Veruntamen, ut reges expeditionum auctores rusticos sequaces

---

[1]) Non repugnat, quod refert Saxo (coll. pag. 442 et 452. 484 et 486. 488 et 489. 588. 593 et 596), Valdemarum magnum et Canutum sextum interdum eodem anno sæpius Vendis bellum intulisse. Constat enim, eosdem reges raro jussisse, integram classem Danorum ad hunc finem una parari.

[2]) Pagg. 452. 484. 486. 488. 489. 593. 596. al. Cfr. Suhm, D, H. VII. 48. 59. 200. 203. 220. 222. 239. VIII. 60. 65.

haberent [1]), prudentiæ erat, iis potissimum tempestatibus ad arma vocare, quibus absentia militum rei rusticæ minime nocebat. Quare pleræque expeditiones aut inter sementem et messem, aut inter messem et ineuntem hiemem factæ sunt.

Quamdiu expeditio duci posset, commeatu in terra hostili suppeditante, e consensu haud dubie militum spe prædæ provocato pendebat, *quamdiu autem suo jure dux obsequium postularet militum*, inter nostrates certe, ut inter vicinos populos, lege definitum erat, siquidem ad tantum temporis nautæ, antequam domum relinquerent, rebus necessariis instructi esse debebant. Sed de hac re æqualium nemini incognita Jutorum codex silentium tenet. Initio seculi quarti decimi lex erat, ut alimenta exercitui ad *sedecim septimanas* providerentur [2]). At, si tibi parum probabile videatur, nostrates antiquitus longiores fecisse expeditiones, quam cæteros populos vicinos, cave credas, hanc legem antiquæ esse originis. Quatuor præterea menses tantam faciunt anni partem, ut agricolæ, quibus res rustica curæ cordique erat, vix ac ne vix quidem consenserint, tantum temporis quovis fere anno in expeditione consumere. Recentiore vero ætate, quum mutata belli ratio et diuturnæ crebarum arcium obsidiones productionem temporis expeditioni dicandi flagitare viderentur,

---

[1]) Cfr. Scriptt. Rer. Dan. V. 593.

[2]) K. Ancher, Lovhist. II. 535. 567. Cfr. Suhm l. c. XI. coll. 616. 619. 681. 683.

de gravissimis autem rebus, ne rogatis quidem rusticis, procerum decerneret auctoritas, non mirandum, tempus expeditionis plebejæ hac ætate multo rarius, quam antea, factæ prorogatum esse. Quas ob causas nobis probabile videtur, rusticos ætate demum post-valdemariana jussos esse, militantibus commeatum ad quatuor menses providere. Hvitfeldius noster affirmat [1]), rusticos expeditione *trium mensium* satisfecisse; nescimus autem, an alia, quam Norvegica legis Gulathingens. Magni legislatoris [2]), auctoritate nixus hoc sibi persuaserit. Veri nihilo minus simile est, Danos et Norvegos, alteros alterorum incursionibus subinde obnoxios, eosdem terminos expeditioni posuisse. Quod narrat Saxo [3]), "sollerti Danorum instituto (regnante Valdemaro magno) provisum esse, ut, eorum classe recensita, quarta quæque navis adversum maritimos prædones, quoad temporum habitus sineret, excubandi officio fungeretur", haud parum confirmat sententiam, rusticis per quartam anni partem militandum fuisse. Brevius vix erat hac ætate legitimum expeditionis tempus [4]). Antea vero *octo septimanas* fortasse

[1]) In præfat. juris aul. Norv., Hirdskraa, et historiæ Christ. I.

[2]) Landvarn. B. cap. 9.

[3]) Pag. 512.

[4]) Velimus enim observes, dies, qui in abitum et reditum navis impenderentur, duodecim illis septimanis detrahendos esse. Secundum leges Norvegicas (Lex Gul. Haconis, Utgerd. B. c. 8. Magni

non excesserat. Antiquior enim lex Gulathiagensis [1]) satis habet jubere, rusticos navem ingredientes cibariis ad duos menses instructos esse; eademque facile lex antiquioribus quoque Danorum expeditionibus scripta erat. — Etsi Danorum regibus ita contigerit, ut videtur, tempus expeditioni ab initio dicatum deinde haud parum prorogare, incommodo tamen non mederi licuit cum veterum institutis militaribus conjuncto, quo factum est, ut tantum non omnia medii ævi bella brevibus utrimque incursionibus more prædonum gererentur, multique in irritum caderent sumtus et labores. Nam quum eo perventum esset, ut res jamjam decerneretur, ob defectum commeatus a militibus sæpe in medio relicta est, in sequente expeditione de integro incipienda. Recentiora temporis expeditionalis additamenta tantum aberant, ut hoc incommodum removerent, ut ne crescentem quidem temporis et successus jacturam obsidione arcium factam reparare possent. Quare hoc vitium gravissima erat causa, cur antiqua instituta militaria, tanquam obsoleta, reges abrogata optarent.

Landv. B. c. 13), commeatu ita consumto, ut non restaret, nisi quantum ad dimidium mensem sufficeret, plebi veniam abeundi postulare licebat. Eodem jure nostrates, etsi de dierum numero nihil constat, sæpissime (Saxo p. 395. 438. 497. 580 etc.) usi sunt.

[1]) Utgerd. B. cap. 6.

§. 40.

Rerum expeditioni necessariarum *navis* primum merito nominanda est. Quam, quum longarum navium non nisi in bello usus esset, ad hunc peculiarem finem ædificandam habebant. Expensas et operas hujus ædificationis gratia faciendas, quæ nautis ipsis plebejis inde ab antiquissimis temporibus incumbebant [1]), in æquales portiones, hafnis numero convenientes, divisas, socii hafnarum pro rata expeditionis parte præstabant. Præstandi autem ratio diversis ætatibus non nihil facile diversa erat. Vetustiores leges Norvegiæ [2]) antiquitatis usum referre videntur. Cum fabris nimirum navalibus socii de navi construenda ipsi agebant; deinde tum constructionis mercede, tum omni materia navali cujuscunque generis ex æquo singulatim divisis, suam quisque partem ad navale portabat. Hanc præstandi viam, antiquitatis rationi optime convenientem etiam nostris antiquitus placuisse putamus. Postea vero non potuit non palam fieri, hanc particulationem coëmtionis et molestias et damnum rusticis afferre, ideoque leges recentioris ætatis [3]) alias vias monstrant. Lex Jutica rusticos jubet de navi ædificanda cum gubernatore agere. Si inter eos de pretio convenisset, gubernatoris esset ædificationem administrare, sin minus, ru-

---

1) Saxo pag. 127.

2) L. Gul. Haconis, Utgerd. B. c. 12. L. Frost. P. IX. §§. 1. 2.

3) L. Gul. Magni, Landv. B. cc. 1. 2. L. Jut. III. 5.

stici navem ædificandam ipsi curarent. Noluerunt autem legislatores, conditionem a gubernatore latam ob parvam pretii diversitatem (en mark æth twa) respui. Pretium navis ædificati pro numero hafnarum divisum socii deinde pro rata pendebant. Eadem ratione etiam *scuta* nautarum (de quibus in §. 42 plura) et *instrumenta nautica* (skipsrethæ) comparata sunt. Ad hæc instrumenta procul dubio non ea modo pertinebant, quorum ope navis per undas ducenda, verum etiam ea, quibus impetus hostilis faciendus et propulsandus erat. Qualia hæc fuerint, nusquam dicitur, neque hujus proprie est loci disquirere [1]). Sed, quum in nautica instrumenta ea sola referre liceat, quorum in re navali usus erat, neque hic, neque alibi in lege Jutica machinarum, quas in obsidionibus milites medii ævi tanti faciebant, mentio fit. Quod argumento est, hoc belli genus, nondum Valdemaro secundo regnante admodum excultum fuisse. Noli tamen credere, castella Valdemari nostri tempore sine machinarum usu capta esse; eædem, vero tam rudes erant et simplices, ut ante portas demum arcis obsidendæ ædificarentur. Itaque asciis modo aliisve instrumentis, quibus ligna aptarentur, militantibus ad hunc finem opus erat. Quodsi bellum eandem Valdemari secundi, ac quarti, ætate faciem jam induisset, ballistæ aliæque res oppugnatoriæ in lege Jutica vix omissa fuissent.

---

[1]) Cfr. Specul. Reg. p. 393 sqq. Jahn l. c. p. 398 sq.

§. 41.

Omnium sumtuum in expeditionem faciendorum illi certe maximi erant, qui in *commeatum* impendebantur. Jam supra indicavimus diversitatem legis frumentariæ putatam, commeatum ad octo septimanas ante ætatem Valdemarianam, hac ipsa ad duodecim, potshac ad sedecim septimanas exercitui providendum fuisse. Sed antequam lex antiquissima illa de commeatu copiarum lata sit, multa fortasse secula effluxerant, quibus res frumentaria militum nulla lege constituta fuerat. Rudes illas antiquitatis catervas, Bellatum, i. e. prædatum festinantes, plaustra vel naves suas alimentis onerasse multitudini bene armatæ, quocunque venerit, haud facile denegandis, quis credet? Flagitandi jus, in terra hostili omni dubio majus, in patria hospitalitatis nomine late patente prætexebatur [1]). Rapina tamen hospitum a vastatione hostium satis longe distare videbatur. Hinc illæ querelæ de prædationibus militum exeuntium et redeuntium primis medii ævi seculis in Gallia crebro auditæ [2]). Apud gentes septentrionales via maritima, quam exercitus ingredi solebant, incolas terræ incolumes præstitisse crederes, sed revera formam modo prædationis mutavit. Nautæ enim exeuntes, ad brevissimum aliquod tempus frumento forsitan instructi, in primo quoque litore præternavigando necessaria — hostium, an commilitonum

---

1) Schöning, Norges Hist. II. 171 sq.

2) Cfr. Stenzel l. c. pag. 66.

sumtu parum curantes — ita plerumque sibi parabant, ut pecudes inventas, possessore inconsulto, suum in usum mactarent, liberalitatis legem salvam rati, si non ultra quod necessarium duxissent secum auferrent. Hæc violenta commeatum providendi ratio (lingua septentrionali *at höggva strandhögg* dicta), quæ neque cum legitimo rerum ordine conciliari, neque milites prædatores in terra jam vastata ab inopia tutos præstare valebat, dum patria in multa parva sibi invicem plerumque inimica regna divisa erat permissa, ex quo tempore in unum colligata fuerat nequaquam ferri debebat. Haraldus pulchricomus, qui minora Norvegiæ regna collegit, severo edicto incolis regni sui interdixit, ne in litoribus patriis pecudes possessoribus invitis auferrent [1]), ideoque verisimile est, Gormonem grandævum, qui jam antea minora Daniæ regna subegisset, simili lege rusticis ipsius potestati subjectis patrocinatum esse. Exinde igitur leges de commeatu exercitui ad certum aliquod tempus providendo valuisse putamus [2]).

Contribuendi ratio ob verba L. J. III. 6, adstipulante jure expeditionali apud K. Ancher, nul-

---

[1]) Snorro, Haralds S. ens hárfagra, c. 24.

[2]) Legitima definitio maximi temporis, cui cibaria curanda erant, non obstabat, quominus reges aliquantum hujus spatii, suadentibus rebus, remittere possent. Prima Valdemari magni expeditio adversus Vendos facta commeatu ad tres vel quatuor tantum septimanas instructa fuisse videtur, Saxo pag. 443—445.

latenus dubia erit. Quævis enim hafna suo militi alimenta necessaria suppeditabat. Socii igitur hafnæ pro rata suam quisque partem conferebant, i e. rustici primæ classis tertiam, secundæ sextam, tertiæ duodecimam partem horum alimentorum parabant. Quanta fuerit Valdemari victoriosi tempore et antea *legitima alimentorum copia*, non liquet, quantam vero recentiore quadam ætate exegerint, docet jus expeditionale sæpius laudatum, quod singulis militibus ad sedecim septimanas sedecim modios [1]) secalinæ farinæ cribratæ et tantidem obsonii (tam butyri, quam porcinæ bubulæque carnis, unde nonnulli ossa eximebant) pondus [2]) suppeditari vult. Gubernatori præterea tradendus erat solidus (i. e. 12 modii) polentæ, ut inde, putamus, cerevisiam coqueret. Solidus vero avenæ simul additus equo fortasse gubernatoris assignatus est. Quodsi hæc præcepta ab iis, quæ Valdemariana ætate valebant, temporis tantummodo spatio, cui providendum, discreparent, facillimum esset dictu, quot alimenta ad tres menses paranda essent. Sed milites antiquioris ætatis *parciore* facile commeatu instructi fuerant. Norvegica tamen lex Gulathingensis Magni

---

[1]) Qui 2⅔ tonnas faciunt, siquidem hæc lex ad orientales provincias pertineat.

[2]) "Syæxten scheppæ sichtet myel, och ther til saa meghen kost, swm thet myel wæyær, bathæ met smör ok flesk ok nödækøth. Æn tha welæ somæ casta ther been wdh af," K. Ancher, Lovh. II, 567. Quomodo *Jahn* hæc verba intellexerit, v. Nordens Krigsvæsen p. 133 sq.

[illegible]

§. 12.

Nummum, quem hucusque commemoravimus, plebeji militiae adscripti pro rata expeditionis parte impendebant, armis vero omnes, seu primae, seu tertiae accensebantur militantium classi, aeque instructi esse debebant. Quae, proprio sumtu compa-

1) Landr. II, cap. 9.

2) 1 Loth 8 Bismerpund = 72 Mark.

3) L. S. Kriel III. 18.

nuta, res mancipii deinde manebant, non in expeditione solum, verum etiam ad terræ defensionem ferenda. Singularis illa cura, quam in armis fabricandis ponebant antiqui, quum in bonitate et pulchritudine, tum in multitudine eorum cernebatur. Tot armorum genera ad corpus militantis undique tegendum jam mature cognita erant [1]), ut *plena armatura*, latissimo vocis sensu, maximos sumtus requireret. Quare ditiores modo et qui bello proprie vacabant laminis illis ferreis corpus circumdare solebant, plebe præcipuis armis et telis contenta. Quantam vim hæc diversitas armaturæ, præstantia inprimis plenæ armaturæ habuerit ad conditionem rei militaris, immo totius reipublicæ patriæ transformandam, sectione secunda hujus dissertationis perspicuum fiet. Hoc loco sufficient jam dicta ad oppositionem intelligendam, quam statuit L. J. III. 4 inter *mens wapn* et *folkwapn*. "Fullæ mens wapn" plena erat illa armatura, qua induti *homines* sic dicti *dominorum (men, herræmen)* militabant; "folkwapn" vocata sunt illa arma, quibus *plebeji (fólk)* instructi esse debebant [2]). Du-

---

[1]) De iis vide Jahn l. c. pag. 187 sqq.

[2]) Itaque *K. Ancher*, hujus oppositionis immemor, *folkwapn* s. *folkæwapn* minus accurate de armis militaribus in universum interpretatur, quod *fólk* a veteribus interdum de exercitu et de militibus in universum adhibitum est, v. Saml. jur. Skr. I. 281 sqq. coll. K. Rosenvinge, Lovsaml. II. 353. V. 593.

plici igitur armaturæ generi duo præcipua copiarum genera in Danorum exercitu, qualis erat Valdemari secundi ætate, respondent, loricatorum, s. hominum, et militum gregariorum s. plebejorum. Cum plebejis solis nobis hoc loco res est. In expeditione navali gregarius quisque miles, jubente L. J. III. 4, *scuto* et tribus folkwapn, *gladio*, *casside* [1]) et *hasta*, instructus esse debebat. Est sane quod mireris, tria modo ultima arma nomine *folkwapn* comprehendi. Etiam alibi ad plenam armaturam plebejam modo tria arma (thry folkwapn) censentur [2]). Scutum igitur, omnibus militibus antiquitus commune, recentiore etiamnum ætate armis plebejis in Norvegia et Suecia accensitum [3]), Dani omise-

---

[1]) *Kætælhod*, Dan. rec. *Kjedelhat*, cassis ferrea rotunda sine munimine faciei. De ea v. K. Ancher, Jydske Lovb. Ordforkl. p. 328, Jahn l. c. p. 237 et Tab. IV. Fig. 3. 4. cfr. Specul. Reg. pag. 401. De cæteris armis hic recensitis v. Jahn pag. 222 sqq. 229 sq. 233 sq.

[2]) Orbodem. c. 3. L. S. Valdemari II. 32. L. S. Erici II. 16. Ræt i Skanæ ap. K. Ancher, Lovh. II. 566. Non obstat L. Scan. V. 4, (Andr. Sunonis V. 18), ubi *quinque*, vel Jus civitatis Lundensis (K. Rosenvinge, Lovsaml. V. 80), ubi *sex folkæwapn* numerari videntur. His enim locis *folkæwapn* sensu collectivo de plena armatura plebeja adhibetur; numerus ad personas pertinet.

[3]) Schöning, Norges Hist. II. 398. L. Gul. Haconis, Utgerd. B. c. 15. L. Gul. Magni, Landv. B. c. 11. L. Ostrogoth., Wadh. B. fl. 6. §. 1. L. Helsing., Tinghm. B. fl. 14.

rant. Quamvis mirum videatur, res tamen ita sese revera habebat. Quod L. J. III. 4 cum cæteris locis, ubi tria numerantur arma plebeja, collatum flagitare videtur, L. J. III. 5, scuta, sicut navem et instrumenta nautica, *communi* sumtu comparari jubens, fere ad liquidum perducit. Nam, siquidem pecunia in hos omnes sumtus eodem modo eroganda esset, pretii pro scutis solvendi milites plebeji primæ classis tertiam secundæ sextam, tertiæ duodecimam partem impendebant. Unde iterum necessario sequitur, non suum cuique fuisse scutum, nisi velis (quod absurdum putamus), tot scuta emta esse, ut plerique milites (rustici primæ classis) eorum quatuor haberent. Hæc arma igitur propterea, si quid videmus, communi pecunia emta sunt, ut, unacum nauticis instrumentis adservata, communi nautis forent usui, et, quum in navali tantum expeditione scutorum usus esset, horum numerus militum certe una expediendorum conveniebat, i. e. *socii ejusdem hafnæ uno scuto contenti erant* [1]). Ita recentior quoque lex expedi-

---

[1]) Prima verba legis, quomodo in textu editionis Ancherianæ leguntur: "hwar hafnæ, ther a skipen ær, scal schiold hauæ", huic interpretationi favent; sequentia vero: "oc thri folkwapn", illis aptari nequeunt, nisi concedatur, quod concedi non debet, omnes hafnæ socios tribus armis plebejis contentos fuisse. In aliis codicibus pro "hafnæ" legitur "hafnæ bondæ", quod cum secundo quidem objecto, cum primo autem, salva interpretatione nostra, minime conjungi potest. Nonne vero in alio verbo

tionali apud K. Ancher socios singularum hafnarum unum scutum communi sumtu suppeditare jubet [1]. Defensores vero terræ plebeji scutis non tecti erant, neque hæc arma in armilustrio generali [2]) spectanda ferebantur: itaque non mirandum est, scutum inter arma plebeja omitti.

Quæ quum ita sint, nequaquam tamen dubitamus, quin scutum non ita diu ante legem Juticam latam ad folkwapn pertinuerit. Apud septentrionales enim, ut apud plerosque alios populos, scutum in tanto antiquitus erat honore, ut ne cogitari quidem possit, armaturæ legitimæ trium armorum

---

error est? Nam "a skipen" pro vulgaribus "i skipen" vix dici possunt. Quodsi vero illa: "a skipen" facili errore pro "a skip" lecta sint, ut hoc loco de armatura remigis *in navi* vel in expeditione navali agatur, omnes difficultates, seu "hafnæ" (cfr. supra pag. 104 sq.), seu "hafnæ hondæ" pro subjecto sententiæ habeatur, plane evanescunt.

[1]) Lovhist. II. 567.

[2]) *Armilustria*, quæ singulas expeditiones anteiisse videntur (v. supra pag. 44. 46. cfr. Saxo pag. 443) ad milites tantum earundem participes pertinebant. Attamen maximi reipublicæ erat momenti cognoscere, num omnes defensores terræ legitima instructi essent armatura. Veri ideo simillimum est, nostros majores, sicuti Svecos et Norvegos, quotannis in publico conventu, cui *Vopna-þing* (Vaabenthing) nomen, armaturam omnium virorum legitimæ ætatis recensuisse, v. Jahn l. c. pag. 244 sq. In legibus tamen nostris hujus armilustrii nusquam mentio fit.

illud defuisse [1]. Cassis contra, in capite gregarii militis antiquitus raro conspecta, recentiore demum tempore frequenti et tantum non communi usu gaudebat. Hisce rationibus convenienter vetusta Haconis lex Gul. [2]) gregario militi hæc tria arma, securim v. ensem, scutum et hastam, imperat. Præterea vero arcus cum 24 sagittis *communi* rusticorum sumtu comparatus in quolibet transtro navis ponendus erat. In hac armatura non tantum observabis, scutum retentum, cassidem omissam esse [3]), verum etiam, gladium securi commutari posse. Quod antiquitatem haud minus sapit. Securis enim Scandinavis olim in usu longe frequentiore erat, quam gladius [4]). In Dania nostra securis, regnante Valdemaro magno, etiamnum usu non caruit [5]), quamvis verisimile sit, gladii usum recentiore tempore magis magisque prævaluisse. Itaque

---

1) Tacit. Germ. cc. 6. 13. 43. Mascou, Gesch. d. Teutschen II. 332. Caroli M. capitul. H. a. 813. c. 9. (ap. Baluz p. 509). L. Gul. Haconis, Utg. B. c. 15. Magni, Landv. B. c. 11. L. Ostrogoth. Wadh. B. fl. 6. Cfr. Saxo p. 407.

2) Utgerd. B. cap. 15.

3) Ne in recentiore quidem L. Gul. Magni regis cassis in arma omnibus communia refertur, ditioribus tamen, quibus præter vestimenta peculium erat 12 marcarum, comparanda.

4) Schöning, Norges Hist. II. 391—398. Suhm, Danm. Hist. II., 58 sq.

5) Saxo pag. 402. 437.

ad ætatem usque Valdemarianam commutatio gladii et securis militibus plebejis sine dubio permissa fuerat. Quid? quod arcus manualis (*handbogi*) et sagittæ, in lege Jutica omissa, in Norvegica lege armaturæ nautarum adduntur, in Svecia quoque telis plebejis olim accensita [1]). Num verisimile erit, Danorum armaturæ, quibus æque, ac viciniis, ars sagittas arcu jaciendi antiquitus familiaris erat, arcum defuisse? Frequentia exempla contraria monent. Quid multa? Armatura Danorum plebejorum antiquitus plane eadem fuisse videtur, quam lex Haconis boni Norvegis plebejis imperat. Hæc sententia jure Slesvicensium antiquo magnopere confirmatur. Cujus art. 8, patrem jubens filiorum cuilibet, si fieri possit, *scutum*, *gladium* et *lanceam* donare, ea arma haud dubie recenset, quæ eo tempore, quo scripta est lex, nomine folkwapn ferebantur: arcus nimirum manualis communi sumtu parandus erat. Quum jus Slesvicensium initio seculi tertii decimi scriptum videatur, mutatio armaturæ, regnante demum Valdemaro secundo sancita, in idem fortasse incidit tempus, quo coepit recentior onera distribuendi ratio. In causas mutationis inquirere non hujus proprie est loci, siquidem quæstio ad historiam artis militaris pertinet. Attamen non difficile erit invenire, quas causas nostri habere potuerint *arcum manualem* rejiciendi. Ne enim sagitta omni effectu careret, peritissima manu arcus

---

[1]) L. Helsing. Ting. B. fl. 14. Loccenii ant. Sveo-Goth. III, 312. Lagerbring, Svea R. Hist. I, 396.

tenderetur necesse erat. At hanc artem inter rusticos nostros una cum belli studio tanto ocius decrevisse, quanto minus venationis exiguitas copiam iis faceret ejusdem factitandæ, nemini non verisimile apparebit. Accedit, quod, dum sagitta arcu manuali emissa magis magisque vim suam amittebat, propugnacula semper firmiora ei opponebant loricæ: Valdemariana ætate magna illa loricatorum multitudo has sagittas impune despectui habebant [1]). Labenti quoque arti sagittariæ jam antea succucurrerat inventio arcubalistæ cujusdam (*lásbogi* et *armbrysti* ei nomina erant), quæ ferrei arcus machina quadam tensi ope sagittam e ligno cavato arcui juncto mittebat [2]). Hoc telum, cujus tanta erat vis, ut loricas penetraret, et alibi et inter nostros tam evidentis in bello repertum est utilitatis, ut armaturæ nobilium adderetur eodem fortasse tempore, quo arcus manualis plebejis ademtus sit. Nonne vero proxima hujus ademtionis causa cum historia cohæret juris venandi? Quodsi nobis constaret, Valdemaro nostro regnante illud jus plebejis ademtum, nobilibus reservatum esse, causa vix dubia esset. — *Scutum* armis plebejis exemtum esse, non offendet, cui non incognitum est, aliorum quoque populorum vicinorum milites plebejos circa hæc tempora scutum abjecisse [3]). Tantum tamen mori

---

[1]) Saxo pag. 490.

[2]) Cfr. Specul. Reg. p. 391. Jahn l. c. p. 268 sqq.

[3]) Sparke, Hist. Angl. Scriptt. I. 84. Raumer, Gesch. d. Hohenstaufen, V. 492—494.

cæterorum septentrionalium scuta retinentium, vel potius utilitati scutorum in pugna inprimis navali [1]) dederunt, ut arcus sagittarumque loco scutum quilibet nautæ communi sumtu providendum curarent. Ita milites saltem extra terræ fines militantes omnes scutis tecti pugnabant. Scuti loco *cassis* inter arma plebeja proprio sumtu comparanda recepta est.

Præceptum legis, etsi omnibus plebejis datum videtur, vix impedimento erat, quominus incolæ nonnullarum regionum peculiari uterentur armatura. Auctor est Saxo [2]), incolas Frisiæ septentrionalis (minoris), anxiam et gravem armaturam contemnentes, ancilibus tectos missilibus dimicasse. Pari modo incolæ fortasse aliarum quoque regionum sagittariorum vel funditorum arte ita excellebant, ut in proeliis his potissimum telis uterentur. Utrum *jaculatores*, *sagittarios* et *funditores*, quorum apud Saxonem interdum [3]) tanquam peculiarium copiarum partium mentio fit, pro nonnullarum regionum incolis harum artium peritis habere, an potius eosdem hominibus et satellitibus regum et principum eorumque comitibus accensere placeat, in sectione secunda, ubi argumenta pro hac sententia attulerimus, melius dijudicabitur. Ad funditores tamen quod attinet, conjectura nostra supra pag. 12 et 22 allata ad veritatem nobis proxime accedere videtur.

---

[1]) Specul. Reg. p. 393 sq. 398. 400.

[2]) Pag. 407.

[3]) Pagg. 213 sq. 401. 526. 595. al.

§. 43.

Jam supra in §. 12 causas explicavimus, cur militia extra terræ fines præstanda ad locupletiores incolas solos pertineret. Gloria divitiæque, præmia virtutis militaris, nemini præ iis tribuendæ, qui expeditionis onera ferebant. Nautarum igitur societas honestissimos omnino plebejorum, haud alios, quam qui in comitiis publicis suffragii exercebant jura, complectebatur. Nisi conservaretur hæc dignitas, periculum erat, ne rustici locupletes, indignis commilitonibus societatem renunciandam rati, justa commoda ipsis debita amitterent. Quare leges nostræ, indignos commilitones, quantum in ipsis, arcturæ, tum integrum servientium ordinem a nautarum societate excludunt, tum ei adscriptis imperat, ut militum vicibus ipsi perfungantur. Quosnam leges servientium ordini accenseant, ideoque expeditionem facere non jubeant, jam supra in §. 29 perscrutati sumus. Quomodo singulorum militia ordinata esset, ut omnes pro rata expeditionis parte labores quoque belli tolerandos haberent, e §§. 28 et 30 nobis jam satis cognitum est. Hujus loci est *disquirere, quatenus necessitatem militandi leges ipsis rusticis imposuerint.* Jam vero nemini videtur in universum licuisse, alium suo loco, gubernatore inconsulto, militatum mittere, nisi, vicario sociis non indigno, omnis abesset suspicio mercedis datæ vel acceptæ. L. J. III. 1. unius tantum hujusmodi casus, si ejusdem hafnæ socii vices commutare aliusque alio anno militare optarent (quod a gubernatore impediri lex vetat),

mentionem injicit. Jus expeditionale apud K. Ancher, hujus casus immemor, filio contra germano patris partes sustenturo liberum aditum præbet. Filiis vicariis in provinciis regni occidentalibus liberum aditum non patuisse, silentio legis Jutiosæ non probatur. Innuit potius Saxo noster [1]), filiis ubique licuisse, patrum loco militare. — Vicarium autem mercede conductum, gubernatore invito, in expeditionem mittere, nullatenus licebat. Conductitium advenientem, cui admissio non antea exorata, gubernatori integrum erat, secundum L. J. III. 2, verberatum vel etiam, secundum jus expeditionale Ancherianum, auribus desectis, remittere [2]). Interdum tamen vicariis mercede conductis opus erat. L. J. III. 1 tres habet justas causas, ætatis, sexus et ordinis. *Ætas militaturo legitima*, plenæ, ni fallimur, ætatis termino coepta (antea nimirum prædium sub tutela fuerat), anno sexagesimo completo haud dubie finita est [3]). *Rustico igitur extra hos ætatis terminos versanti* (swa gamæl ældær swa vngh, a han ær æi *för* at faræ) per vicarium militandum erat. Item *foeminis*, si quæ forte prædia haberent expeditioni adscripta. Haud aliter *clericis* (lærthæ men), qui, omni militia extra terræ fines præsente exemti, unum prædium

---

[1]) Pagg. 264. 512.

[2]) Quæ diversitas utique probare videtur, hoc jus expeditionale Jutis non datum esse.

[3]) Cfr. supra §. 2.

expeditionis immune colebant[1]), e cæteris, si quæ præterea haberent, expeditionem præstaturi. Tribus illis causis quarta, valetudinis, haud dubie addenda est, quippe quum morbo impeditum haud minor, quam cæteros, cogeret necessitas ad vicarium mittendum. Quibus quum jus esset per vicarium militandi, assensus tamen gubernatoris haud supervacaneus, quo indigni vicarii rejicerentur. Dignos vero eos solos omnino habitos putamus, qui ejusdem vel alius cujusdam navarchiæ socii navales essent[2]). Prorsus indigni socii *servi* habebantur. Quodsi quis servum suo loco mittere ausus esset, nihil profecit, servum vero, aut regi, aut in libertatem vindicandum, amisit[3]).

Quibus annis rustico militandum erat, expeditionis onus haud parum ei auctum est. Rarius tamen, pauperioribus inprimis, vices recurrebant. Rustici tertiæ classis non nisi duodecimo quoque anno ex ordine militabant. Temporis præterea operæque dispendium sæpe quadamtenus, abunde interdum compensatum est *præda capta*, quam inter milites ex æquo dividere, antiqua sanxerat consuetudo. Leges vero divisionis, ætate Valdema-

---

1) L. J. III. 10.

2) Ne aliorum rejectio mercedem aliis solvendam nimis augeret, non inutilis fortasse legitima ejus definitio. In Scania solidus argenti pro mercede iis constitutus videtur. Ita verba epistolæ Erici ad provinc. Barahereth (Lovhist. II. 541) intelligimus.

3) L. S. Erici III. 18. L. Jut. III. 2.

riana haud facile eædem, quas antea observaverant, nobis non cognitæ sunt. Quæ refert Saxo [1]), Frothonem tertium edixisse, ut primipilus majorem prædæ portionem, quam cæteri milites, haberet, ducibus vero, quibus in acie signa anteferri solerent, captivum aurum, militibus gregariis argentum, hominibus dominorum (pugilibus) arma, plebejis naves reservarentur, incerta traditione nixa, parum verisimilia videntur [2]).

§. 44.

Præter majora onera jam recensita etiam minora quædam expeditionis gratia rusticis ferenda erant. Horum facile gravissimum erat *pensio gubernatori eroganda*, quæ, secundum L. J. III. 3, ideo collata est, ut quas expensas gubernator in equum faceret et loricam, quibus in expeditione instructus esset, ei rependerentur. Unde explicandum videatur, quod hoc onus in rusticos translatum sit, in sectione secunda suo loco illustrare conabimur. Ipsum debitum, ex lege Jutica, qualibet hafna novem modiis [3]), quilibet igitur rusticus

[1]) Pag. 127.

[2]) Cfr. Jahn l. c. pag. 136 sqq.

[3]) Ita legitur in prioribus editionibus, adstipulantibus plerisque codicibus manuscriptis. Codex vero, quem typis vulgari fecit K. Ancher, habet *thre* pro *ni*. Varians lectio inde orta videtur, quod descriptor, quum vocem *thre* literis consignaret, putavit, *hafnæ bondæ*, non *hafnæ* subjectum esse sententiæ.

primæ classis tribus modiis secalis solvebat, et quidem in festo Sti Michaelis, attamen non aliorum annorum, quam quibus expeditio revera facta est. In epistola incolis provinciæ Barahereth in Scania data Ericus (Glipping) rex interdicit, ne pro *hestebeya* et *brynnieleya* plus quam ora argenti extorqueatur [1]. In jure autem expeditionali apud K. Ancher nomine *bryniopenningæ* marca (den.) exigitur. Cæteroquin hoc tributum seculo quarto decimo non certo quodam anni tempore, sed unacum reliquis sumtibus cuivis expeditioni impendendis collatum videtur [2].

Moris erat populis septentrionalibus post finitam expeditionem maritimam navem in aridum litus subducere ibique, ne acerbitati aeris obnoxia esset, tecto ad hunc finem ædificato submittere. Quæ conservandi ratio navibus inprimis bellicis, quarum per paucos plerumque anni menses usus erat, utilis, Norvegis ita curæ cordique erat, ut regulas *domo navali* (septentrionali nomine *skipa-naust* vocatur) ædificanda observandas inter leges expeditionales seorsum traderent [3]. L. J. III. 5 navem expediendam in mare protrudi et post reditum subduci jubet, nec dubium est, quin navis in aridum subducta tecto recepta sit. De domo vero ædificanda

---

1) Lovhist. II. 541.

2) Edictum Erici Menved a. 1304. Lovhist. II. 538. Jus exped. ibid. p. 567.

3) L. Gul. Haconis, Utgerd B. cap. 13. Magni, Landv. B. cap. 2. L. Frost. IX. 3.

lex nihil habet, neque, regulas ab iis certe, quæ de navi condenda præscriptæ sint, vix diversas omitti, magnopere dolemus. — Ob levitatem navium translatio humanis quidem viribus fieri poterat, sed multis manibus opus erat. Itaque præter nautas, quibus officium in bello instante militandi incumbebat, cæteris quoque sociis navalibus imperatum est, ut *nave protrudenda et post reditum subducenda operam suam navarent.*

Præterea *vectura* satis ampla opus fuisse videtur. Primum enim commeatus suppeditandus ab ipsis navi imponendus [1]), deinde, ni fallimur, instrumenta nautica armaque communi sumtu emta, e navarchia, ubi in armamentario ecclesiæ, ut videtur, asservari solebant [2]), eodem portanda et post reditum revehenda erant [3]). Si huc adjicias, sedes nautarum interdum haud pauca milliaria a statione

---

[1]) L. Jut. III. 6.

[2]) Quum armamenta navis minora non sine periculo amissionis in domo navali possent relinqui, leges Norvegicæ (L. Gul. Haconis, Utg. B. c. 11, Magni, Landv. B. c. 14, L. Frost. IX. 20) vela cæteraque instrumenta in ecclesiis asservari jubent. L. Jut. nostra hoc prætermittit. Seculo vero 14mo legimus (Scriptt. R. D. VI. 529) ballistas s. machinas jaculatorias in ecclesia, et quidem in ea parte, quæ etiamnunc inde nomen (Vaabenhuus) retineat, asservatas esse. Unde colligimus, nostrates etiam antea, Norvegorum more, armamenta navalia ibidem condidisse.

[3]) Cfr. K. Ancher, Lovh. II. 567.

navis distantes fuisse, facile patebit, expeditionem præter sumtus omnium et comitatum militantium sociorum satis magnam sæpius operam remanentium postulasse.

Caput sextum.

De legibus ad expeditionem plebejam pertinentibus administrandis.

§. 45.

Postquam in antecedentibus capitibus recensuimus leges, quibus majores militiam plebejorum extra terræ fines præstandam ordinarunt, in hoc denique capite, disquisitioni nostræ de expeditione plebeja finem imposituri, præcepta nobis cognita, ea quidem paucissima, colligemus, quibus obsequium illis legibus conciliare studuerunt. Primum de poenis delinquentibus constitutis, deinde de capiendi ratione verba faciemus.

In exemplum certe imperfectæ rationis Jutici codicis afferri potest, quod poena iis constituta, qui indictioni expeditionis non obtemperabant, nusquam memoratur. At si memineris, anno 1428 judicio placiti generalis efficiendum fuisse, quæ tandem poena iis immineret, qui defensionem terræ negligerent [1]), illa omissio non aliena videbitur. Neque magnitudo poenæ latet; nam L. S. Erici

---

[1]) Vid. supra §. 5.

III. 18, cui tria legum fragmenta a K. Ancher [1]) nobis servata adstipulantur, obiter monet, illos, qui expeditionem vocati non adirent, mulctam trium marcarum commisisse. Hæc erat igitur nostrorum *lethangsvite* [2]), Anglosaxonum *fyrdvite* et *ferdvite*, Germanorum *heerbann* (sensu speciali). Sed veri plus quam simile est, majores inter poenam eorum, qui expeditionem non adiissent, et eorum, qui eam nondum finitam reliquissent, distinxisse, hosque gravius, quam illos mulctasse [3]). Germani et Francogalli inter absentiæ (heribannum) et desertionis (herislitz) delictum tam severe distinguebant, ut illud certa pecunia, hoc morte mulctarent [4]). Norvegi quoque hoc delictum longe graviore poena, quam illud punibant [5]). Auctor est præterea Sveno Aggonis noster [6]), Canutum sanctum, quum nautas ante expeditionem inceptam domum reversos absentiæ damnaret, severitatem legis ob multitudinem reorum mitigasse, quippe qui desertionis eos damnare potuisset. Idem denique confirmat analogia gubernatorum. Qui, si absentiæ culpam in se ad-

---

[1]) Lovhist. I. 602. 606. II. 548. Cfr. Suhm, Danm. Hist. IX. 630. 769.

[2]) Diplom. Arna-Magn. I. 3.

[3]) Cfr. Jahn, l. c. pag. 11.

[4]) Caroli M. Capit. II. a. 805. c. 19, III. a. 805. c. 21, I. a. 812. cc. 2. 3. 7 et II. a. 812. cc. 1. 4 ap. Baluzium.

[5]) L. Gul. Hac. Utg. B. cc. 7. 8. Magni, Landv. B. c. 10.

[6]) Hist. Dan. c. 6 (Scriptt. R. D. I. 57 sq.), cfr. Saxo pag. 340 sq.

misissent, 40 marcarum poena tenebantur[1]), sin, venia non accepta, domum rediissent, bonorum amissione et morte vel exilio plectendi[2]). Quanta vero poena nautis nostris ob desertionis delictum constituta sit, nusquam indagare potuimus.

Ne nautæ inevitabilia absentiæ prætenderent impedimenta, expeditionis tempus, velut magnorum festorum et messis tempora, sanctum *(lethings hœlgh)* erat lege declaratum, i. e. nullius causæ, nisi furti[3]), actio hoc temporis spatio permissa erat[4]). Etiamsi quis ante initium expeditionis accusatus pacis jacturam fecisset, in expeditione tamen æque tutus erat, atque in placito, in coemeterio et in cæteris locis sacrosanctis[5]). Quibus locis expeditio ita quoque accensebatur, ut, si quis ibidem commilitoni vim intulisset, præter vulgarem mulctam 40 marcas læso vel heredibus ejus totidemque regi solveret[6]). Tandem si quis in terra hostili captivus detentus fuisset, pleno postliminii jure reversus est, neque leges, absentiam ei quo-

---

[1]) Canutus sanctus rex nautas tribus marcis, i. e. pro absentiæ delicto, gubernatores quadraginta marcis mulctavit. Sveno et Saxo ll. cc.

[2]) Saxo pag. 340. 447 sq.

[3]) Furtum antiquis tam detestabile videbatur delictum, ut fures, indulgentia prorsus indigni habiti, e societate nautarum quam primum ejiciendi essent.

[4]) L. S. Erici II. 49. K. Rosenvinge, Lovsaml. V. 57. 177. 192. 592. Cfr. L. Jut. II. 45.

[5]) L. S. Erici II. 52.

[6]) L. Jut. III. 22.

cunque nomine detrimento fore, patiebantur [1]). Ita majores, quantum in ipsis erat, lege caverant, ne quid officio militandi obesset. Lubenter sane, si fieri potuisset, *excommunicationis* impedimentum removissent. Ecclesia vero inexorabilis erat [2]).

Quum non absentia modo et desertione socii navales expeditionem quadamtenus impedire possent, poenarum hisce delictis constitutarum non satis erat. Sed quæ et quantæ fuerint poenæ violationi cæterarum legum constitutæ, non liquet. Mulcta socio navem protrudentibus auxilium debitum non ferenti irroganda, quippe cujus definitio consensui nautarum relicta erat [3]), in alia navarchia facile aliter censebatur.

§. 46.

Poenas neglectæ expeditionis nautæ *regibus* solvebant. Qui incolumitati hujus juris tantam curam adhibebant, ut, quum clericis nobilibusque plerasque mulctas a colonis ipsorum solvendas largirentur, has tamen sibi reservare solerent [4]). Nec sine causa. Periculum enim erat, ne detrimentum

---

[1]) A. Sunonis, L. pr. Scan. VI. 16.

[2]) In actis adversus Jacobum Erlandi rex queritur, quod archiepiscopus hominibus regis excommunicandis expeditionem impediebat, Scriptt. R. Dan. V. 597. 599 sq.

[3]) "Sum wither worther lagth, oc skipæræ giuæ ia til" L. Jut. III. 5.

[4]) Scriptt. R. D. III. 427. Diplom. A. M. I. 3. Suhm, D. H. IV. 782. VIII. 126. IX. 769.

acciperet expeditio, si clericis et nobilibus integrum fuisset mulctam absentia commissam colonis suis remittere. Quare Ericus Menved rex, quum necessitate coactus a. 1303 jus has mulctas petendi Isarno archiep. concedat, hæc tamen addit: "si vero in hoc negligens fuerit vel remissus, vel prædicta commiserint ejus mandato, conniventia vel concessu, nostram, *in quos delinquerint juxta leges paternas*, sentiant ultionem [1]." — Ad poenas, ni fallimur, neglectæ expeditionis quum eæ, quæ militibus absentibus et desertoribus, tum eæ, quæ sumtus retinentibus [2]) imminebant, referendæ sunt. Quas "juxta leges paternas" regi pendebant. Mulctæ vero iis, qui commilitonibus navem protrudentibus vel subducentibus auxilium negabant, irrogatæ, quum hoc delictum non tam impedimento expeditionis, quam oneri esset sociorum navalium, in communem sodalium usum seponebantur [3]).

Gubernatores, quibus cura expeditionis singularum navium incumbebat, *administratores legum militarium* vel quasi actores publici, in sua quisque navarchia, fuisse videntur, præfectis tamen provinciarum administrationis, ni fallimur, rationem reddituri. Quodnam operæ exactioni impensæ pretium habuerint, non liquet. L. Jut. III. 5 tantum edicit, ut, si quis mulctam, ob auxilium sociis navem provehentibus subtractum, communi usui

---

[1]) Hvitf. I. 320.

[2]) L. Jut. III. 6.

[3]) Ibid. III. 5.

commissam ultra statutum tempus retinuerit, gubernatori pro exactione insuper tres marcæ solvantur. Arbitrorum vel judicum, si ita dicere licet, munera in occidentalibus saltem provinciis fungebantur *nominati navales*, *skipsnefningæ*, aliis nominibus etiam *scoresmen* [1]) et *farwith nefningæ* [2]) salutati [3]). Quos rustici procul dubio inter se elige-

[1]) Origo nominis *scoresman*, quod in aliis codicibus etiam scribitur *skurtesman* v. *skyrthæsman*, dubia est. K. Ancher (Jydske Lovb. pag. 344) vocem derivat ex Isl. *at skora* 1) fissuram facere, 2) numerum supputare, 3) determinare, 4) evocare. Sed, quum ob quartam verbi significationem opinetur, *scoresmen* nautas esse in universum, haud dubio errore ducitur. Secunda vero vel tertia significatio in hac compositione sensum non ineptum præbebit. Johannes Finnæus Isl. *skyr*, purus, radicem putat, quare *scoresmen* ei viri purgantes, i. e. juratores sunt, K. Ancher, Lovh. II. 512. cfr. 454 sq.

[2]) *Farwith* cum K. Anchero (Lovh. II. 454. J. Lovb. p. 310) e vv. *far*, navis, et *with* s. *vide*, mulcta, derivamus. *Farwith nefningæ* igitur nominati erant de mulctis nautæ irrogandis juraturi.

[3]) L. Jut. III. 5. 12. Hæc tria verba fuisse synonyma e codicibus quidem legis manuscriptis decerni nequit. Pro "styræsman *æthe* (sive) skipsnefningæ, ther summæ kallæ farwithnefningæ," quomodo legitur in editione Ancheriana c. 5, codex pretiosissimus Flensburgensis habet "skvrtesmæn *oc* (et) skipsnæfning etc." aliusque Hafniensis (inter Magn. No. 10. 4to) "skyrthæsmæn *æth* skipsnæfning etc.", quod etiam in alio quodam antiquo codice (No. 4 inter eadem) legendum fuisse videtur. Itaque skvr-

bant. Eorum erat, jurejurando interposito, partim lites inter gubernatorem et nautas de expeditione facienda ortas dirimere [1]), partim pro expeditione non facta mulctam delinquentibus imponere [2]). Testis est Ostersen [3]), munus eorum (nondum ipsius tempore abrogatum, licet in permultis certe mutatum), duobus rusticis proprietariis in quavis navarchia demandatum fuisse. Hic nuncius antiquum fortasse numerum nominatorum nobis servavit. Cæterum nihil de iis compertum habemus, nec nisi duobus illis locis, L. J. III. 5 et 12, mentionem eorum factam vidimus.

Nominatorum jusjurandum causæ *legitima via* finem faciebat. Quod vero quum non impediret, quominus fieri posset, ut navis ob negligentiam sociorum rebus necessariis male instructa solveretur,

---

tesmæn v. scoresmen genuinam hoc loco lectionem putamus; synonymia vero trium vocum in medio relinquitur, item in c. 12, ubi pro "scores men oc skip nefningæ" editionis Anch. codex Flensb. habet "skvrtesmæn *æth* etc." Attamen quum in antiqua versione Latina, quam perperam Canuto episcopo tribuerunt, in c. 5 nomen *skursmen* explicetur per *farwithe neffning*, quo eodem nomine etiam *skipsnefningæ* vocatos fuisse e textu Danico cap. 5 constat, synonymia horum verborum certa videtur, siquidem interpretatio Latina antiquior sit, quam ut in usu verborum nondum abolitorum errare potuerit.

1) L. Jut. III. 12.

2) Ibid. III. 5.

3) In Glossar. jur. dan. pag. 718.

gubernatori interdum, quum periculum esset in mora, licebat, *via compendiaria* ad scopum properare. Si quis enim, quæ ad navem tum condendam, tum armamentis, clypeis et commeatu instruendam conferre deberet, non contulisset, gubernatori, testimonio nautarum freto, integrum erat, — sed nave demum educta, rebus illatis, terminoque nautis præscripto jam effluxo, — bona ejus pignoris instar auferre. Quodsi vero gubernator non ante pignus cepisset, quam navem e portu solveret, nec vicario ejus, eo absente, nec ipsi domum reverso capere licebat, antequam reum jure judicatum fecisset. Violentiam enim supervacaneam videri nolebant. Possessor, si bona sua pignori capta non ante luisset, quam navis solveret, postea duplo redimeret [1]).

---

[1]) L. Jut. III. 6.

C o r r i g e n d a.

Pag. 6. Lin. 19. Post "prima" adde: libri tertii
— 7. — 28. fragmentum l. præcepta
— 50. — 19. opera l. onera

